

bus plenior est, quam sit leprosus et moribundus.

Igitur adulter, qui in foedis libidibus volutatur, simulis est porco, qui luto et cœnoscis equis pasceatur; porcus enim est spurcus, et ipsa quasi spurcitas, habet hinc de re insignem apologum porci et felis Cyprius lib. IV *Apolog. moral.* cap. 1: « Stabat, ait, felis in splendido prato lingua sua pellem lingens, ut adherentem ei pulverem expiaret. E contra vero porcus in vicino cœno fetido sese volutans, eum turpissima jactatione iustusmodi sordidabat, dicens: O quam amenissimus mihi lectus, et stratus dulcissimus hic est! o quam suave balneum carni mee! quam dulcis hæc aqua refrigerii! quam nobilis hæc stilla roris transcendens Libani latices, Damasci fontes, et Paormitana balnea sospitate! » At cattus, hæc audiens, indignans dixit: « Quid est hoc tibi jaces? Tum ille respondit: Lutum et cœnum. Tunc cattus, increpando, adjunxit: Merito es porcus, quia delectaris in fetidissimis, impinguaris in sordidissimis, et lœtaris in rebus pessimis. Cui porcus impatiens dixit: Vade, judica muris istis; quid mihi et tibi? At ille: Reete, ut v. Salomon dixit (Prov. cap. ix, 8): Noli arguere deisorem, ne odarit te. Attamen pestilentii muri iudex auctoritate naturæ sum constitutus, et tibi immundo, si percipis, ab eadem natura in moribus corrector sum prefectus. Te namque lingendo lingua, vitare sordes doceo, si attendis; atque illum iudico, cum in malefocis eum judicialis unguis comprehendit. »

Beinde castitatem comparans celo, anime, floribus et gemmis, ejus pulchritudinem ostendit: « Vide quam cara sit Deo grataque mundicia, tam anime, quam nature. Ille enim cœlum in sempiternum sibi paravit mundissimum, et replevit clarissima luce mundum: animam de candidato semine generat, et de puro sanguine membrum cibati. Mira quidem rutilantia flores germinant, ac splendenti pluma, squama et pellicula carnes ornant, natura quoque pretiosissimas gemmas gignit purissimas, et metalla puritate splendentia parit, et condit suo diverso modo digesta. Et quid ergo in immunditiis delectaris? Nescis quod expulsa virtute dissoluta, retentis foeditatibus, caro perit. Ideo si vitam tantum diligis, sordes fuge, et ad purgativum lavacrum mox accende; quo dicto requievit. »

34. QUIA ZELUS ET FUROR VIRI NON PARCET IN DIE VINDICTÆ. — Septuaginta, plenus enim est furor viri ejus non parcat in die judicii. Apud Judæos enim maritus per se adulterum occidere non poterat, sed debebat eam accusare apud iudicem, a quo condemnabatur ad lapidationem. Apud alias tamen gentes, quin et apud Romanos, jure Cæsareo permittitur marito impune occidere adulterum, in adulterio cum sua uxore deprehensum; hoc enim conceditur justo ejus dolori, qui tantus est, ut maritum agat in zelum et furor, qui vix retineri possit, quin manus in verbera et ca-

dem erumpant. Unde Chaldaeus vertit, quia zelus est ira viri; Vatablus, maritus enim zelotypus impatienter accensus, cum ei vindicandi occasio offertur, non parcat (1). Impune deo apud homines, non apud Deum. Apud Deam enim occidens adulterum privata auctoritate, homicidii reus est.

35. NEC ACQUIESCET CLAUSTRUM PREGRES, NEC SUSCIPIT PRO REDEMPTIONE DONA FLURAM. — quia injuria tori maxima est, nec ullis donis compensari potest, ideoque maritum qui lesus est, facti implacabilem et inexorabilem. Loquitur de eo quod fit ut plurimum. Mariti enim quidam adeo viles sunt, ut ob pecuniam noxam adultero condonent; alii adeo modesti et pii, ut et injuriam remittant. Hinc colligendum relinquit: si maritus adeo vilescitur adulterium, quomodo illud vilescit? Quocirca ipsum nullis legis veteris hostiis poterat expiari; unde nec ulla ad ejus expiationem in Levitico fuere prescripta. Hebraice est, non suscipiet facies omnis כֹּפֶר עֹפֶר, id est propitiatio, vel expiationis aut satisfactionis, et non valet, cum multiplicaveris manus; Septuaginta, non committabit ulla redemptione inimicitiam, neque desolabit multis denis; Aquila, manerunt oblatione; Theodotion, non accipiet personam ullius satisfactionis; Vatablus, ultius interessoris; Pagninus, non accipiet personam omnis pretii, etc. Nam, ut ait S. Hieronymus in cap. vi Amos: « Libertus audit maritus uxorem interfici, quam pollui. »

Similis et reciprocos est zelus uxorum in maritis, fidem sibi datam per adulterium violantes. Ille enim implacabilis rugiunt, et seviunt sicut lænæ raptis catulis, ac sæpe maritos obruncant. Ita scribit Cicero, lib. II *Offic.* Alexandrum Phœreum a Thebe uxore interfectum propter pellicatus suspicionem. Et Justinus, lib. XXVI, narrat Demetrium Antonii regis filium jussu Arsinoe uxoris interemptum, quod cum Berenice socru stupri consuetudinem haberet. Alter Demetrius cognomento Nicobar a Cleopatra uxore occisus est, ob zelum Rhodogunæ Pharaonis regis sororis, ut tradit Appianus in *Syriaco*. Clytemnestra, audiens Agamemnonem maritum deperire Chryseidem, et se adulterio cum Egisto polluit, et maritum ipsum morte malefavit. Sed instar mulorum sit, quod scribit Apollonius Rhodius, lib. I *Argonauticam*, Lemnias mulieres zelotypia incensas, quod mariti captivas quasdam feminas adamarent, maritos suos omnes et præterea universum genus masculinum obruncasse. Denique Seneca in *Medea* ita canit:

Nulla vis flamma tumidique venti
Tanta, nec teli metuenda tori,
Quæta cum conjux viduata velis
Ardet et odit.

(1) Proprie ex hebr. nam zelotypia est ira ardens viri, id est, nam alieni amoris stimuli iracundiam inflammant mariti.

Plura concessit Tiraquellus in leg. 13 *Connubial.* num. 28 et seq.

Mystice, adulterium est hæresis, et quodvis peccatum mortiferum; per hoc enim anima Deo desponsa, eo spreto, adulteratur cum carne, mundo et dæmone; unde peccator dolore et ignominiam sibi congregat, et opprobrium illius non delebitur, quia zelus et furor viri, puta Dei, non parcat in die vindictæ, id est in die mortis et judicii. Ita Beda: « Domini, ait, qui nunc parcat reprobis, non parcat in die mortis, nec acquiescet precibus sero clamantium ad se, nec dona, quorum non est ibi tempus vel facultas, suscipiet;

zelatur enim si quis sponsam suam, id est Ecclesiam, sive animam quamque fidelem, corrumpere præsumit. » Et S. Hieronymus (loquens de die judicii) epist. ad *Heliodorum*: « Tunc, ait, ad vocem tubæ pavebit terra cum populis; tu gaudabis. Judicaturus Dominus lugubre cyndrum immugiet, et tribus ad tribum peccata forient. Potentissimi quondam reges nudo latere palpitant. Adduceatur cum suis stultus Plato discipulus; Aristotelis argumenta non proderunt. Tunc tu rusticanus et pauper exultabis, et dices: Ecce judex qui involutus pannis in præsepio vagiit, » et *Plura* in hanc rem dixi *Josias* II, vers. 31.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Et ea, quæ de meretrice et fornicatione dixit, magis confirmat et illustrat, producit in scenam meretricem, sive mæcham, suis verborum et fuerum lenociniis juvenem illicitam et seducentem; ac deinde, vers. 22, ejus insipientiam ostendit, quod ad victimam, laqueum animæque exitium ducatur.

1. Fili mi, custodi sermones meos, et præcepta mea reconde tibi. 2. Fili, serva mandata mea, et vives: et legem meam quasi pupillam oculi tui: 3. Iga eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui. 4. Dic sapientie: Soror mea es; et prudentiam voca amicum tuam, 5. ut custodiat te a muliere extranea, et ab aliena, quæ verba sua dulciter facit. 6. De fenestra enim domus mee per cancellos prospexi, 7. et video parvulos, considero veocordem juvenem, 8. qui transit per plateam juxta angulum, et prope viam domus illius, graditur, 9. in obscuro, advesperascente die, in noctis tenebris, et caligine. 10. Et ecce occurrit illi mulier ornata meretricio, præparata ad capiendas animas: garrula et vaga, 11. quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis: 12. nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians. 13. Apprehensumque deosculatur juvenem, et prociacis vultu blanditur, dicens: 14. Victimam pro salute vovi, hodie reddidi vota mea. 15. Idcirco egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre, et reperi. 16. Intextui funibus lectulum meum, stravi tapetibus pictis ex Ægypto; 17. aspersi cubile meum myrrha, et aloë, et cinnamomo. 18. Veni, inebriemur uberibus, et fruamur cupitis amplexibus, donec illescescat dies: 19. non est enim vir in domo sua, abiit via longissima; 20. sacculum pecunie secum tulit: in die plenæ lunæ reversurus est in domum suam. 21. Irretivit enim multis sermonibus, et blanditiis laborum protraxit illum. 22. Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, et quasi agnus lasciviens, et ignorans quod ad vincula stultus trahatur, 23. donec transfigat sagitta jecur ejus: velut si avis festinet ad laqueum, et nescit, quod de periculo animæ illius agitur. 24. Nunc ergo, fili mi, audi me, et attende verbis oris mei. 25. Ne abstrahatur in viis illius mens tua: neque decipiari semitis ejus. 26. Multos enim vulneratos dejecit, et fortissimi quique interfecti sunt ab ea. 27. Via: inferi domus ejus, pent rantes in interiora mortis.

PRIMA PARS CAPITIS.

Multa ex his jam cap. præcedent. explicata sunt, alia castis auribus minus grata: quare omnia paucis expediam.

1. FILI MI, CUSTODI SERMONES MEOS, ET PRÆCEPTA MEA RECONDE TIBI, — velut thesaurum pretiosum, qui vitam animamque tibi servabit; « reconde, »

inquam, in aera mentis tuae, ut ex ea tempore opportuno ad aliorum salutem illa liberaliter de-promas. Unde Syrus verit, *absconde in corde tuo*. De more novum oritur sermonem excitat discipulum ad attentionem, proponendo dogmatum suorum praestantiam. Septuaginta hinc sententiae subnectunt aliam, quae nec in Hebraeo, nec in Chal-daeo, nec in Latino habetur, nec hinc loco est op-portuna : unde ex alio loco hinc traducta et in-serta videtur. Est autem haec : « Fili mi, honora Dominum, et valebis, et praeter eum ne timearis alium. » Eamque legunt Complutenses, Romani, Lucifer Calaritanus, *Apolog. pro S. Athanasio*, S. Ephrem, tractatu *Contra Impudicos*, qui pro *altum verit alienam*. « Valebis, » id est bona eris corporis mentisque, Deo dante, valetudine, in-quieti aliquid. Verum Graece est *ισχυεις*, id est potens et validus eris ad quivis aggrediendum, et ad malis omnibus resistendum. Unde S. Hiero-nymus in cap. vi ad *Ephes.* legit : « Fili, honora Dominum, et confortaberis, » q. d. Si Deum, ut deceat, honores et colas, Deus te faciet omnibus malis et hostibus validiorem : quare praeter eum neminem alium, nec demonem, nec hominem, nec deum fictitium timeas, id est revereris, me-tuas et colas, juxta illud *Isaia VIII, 12* : « Timeorem ejus ne timeas, neque paveatis : Dominum exercituum ipsam sanctificate; ipse pavor vester, et ipse terror vester. » Et illud Christi : « Nolite time-re eos qui occidunt corpus; sed potius time-te eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam, » *Matth. x, 28*.

2. *FILI, SERVA MANDATA MEA, ET VIVES* (Hebraeus, Aquila, Symmachus et Theodotion, et *vive*, id est certo vives, tum in hac vita vitam longevam et felicem, tum in futura aeterna et beatam). ET *LEGEN PEAN QUASI PUPILLAM OCULI TUI*. — Hebraice כַּשְׁמַיִת *keishon*, id est sicut *virunculum oculi* : ab *ישן isch* enim, id est *vir*, derivatur dimi-nutivum *ישון ischon*, id est *virunculus* : ita dicitur pupilla, quod in ea virunculi imago resplendet. Sic Graeci pupillas vocant *κίρρα*, ut verunt, Septuaginta, q. d. Virgines et Nymphas, quod virginis imago appareat in pupilla. Unde Plutar-chus scribit oratorem quendam acute, sed salse, dixisse de impudente quodam, quod in oculis haberet non *κίρρα*, sed *κίρρα*, id est non virginis, sed meretricis. Sic et Latini pupillam vel pupillam vocant quasi parvam pupam, id est parvam puellam. Unde Manilius, lib. IV :

Parvula — in pervasi pupula caelum.

Mirum est quod scribit Plinius, lib. XXVIII, cap. xxvi : « Augurium est homine ipso est, non timendi mortem in aegritudine, quamdiu oculorum pupillae imaginem reddant. » Inde etiam vox *pupillus*, quasi pupus et pupa. Alii consent pupillam dici *ischon*, id est caliginem vel nigredinem, quod ipsa tenebrosus et nigerrimus sit orbiculus oculorum : ex quo tamen elucet virtus

visiva et scintilla luminis. Nam sicut Deus ex tenebris produxit lucem mundi. *Genes. i, 2*, dicens : « Fiat lux, » ita ex illa oculi caligine mire pro-duxit lucem corporis. Quo alludens Apostolus, II *Corinth. IV, 6* : « Deus, ait, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminandam mentem scientiae claritatis Dei, in facie Christi Jesu. »

Porro Aristoteles, lib. V *De Genet. animal.* cap. 1, docet vim visus in aquo humore consistere, nigredinem autem signum esse copios humoris aquae. Idem, lib. I *De Histor. anim.* cap. 1 : « Candidum oculi, ait, magna ex parte simile in om-nibus est. At quod nigrum dicitur, variat : aliis enim atrum; aliis admodum caesum; aliis ful-vum; aliis caprinum, quod morum optimorum indicium est, et ad cernendi claritatem primatum oblinet. » Nigredo enim necessaria est ad congre-gandos colores, qui videndi sunt, quia lux et color lucidus, puta albus, visum disgregat et dispergit.

Sensus ergo est, q. d. Tam tibi cordi et cure sit mea lex et disciplina, quam est pupilla oculi, quam ut teneram pupillam et virgunculum summi-diligis et custodis : quamque est ipse orbiculus nigr. pupilla; in quo acumen visus consistit : esto enim in lege quaedam sint atra, id est ob-scura et difficilia, tamen in his visus mentis, ratio-nis et virtutis consistit. Multo ergo magis ea cus-todi, quam tutor custodit pupillam et res pupilli: magis enim diligitur pupilla oculi quam pupillus mortui.

Igitur sicut pupilla, inquit S. Basilus, hom. 11 *Hexaemer.*, a natura tribus quasi propugnaculis munitur et custoditur, nimirum primo, quadru-plici tunica, scilicet speculari, reticulata, crystal-lina et cornea; secundo, palpebris et ciliis contra muscas, arenas et pulveres; tertio, superciliis, sub quibus in cavo quasi antro delitescit, ne laedi queat, utque ipsa aciem visivae potentiae recta in-ferant ne moderentur. Supercilia ergo sunt quasi oculi domicilium et propugnaculum; ipsa enim sunt quasi teclum legens oculos, ne capitis fro-nisque sudor in eos, sed potius in tempora gene-sque deluat. Vide S. Basilium loco citato.

Secundo, sicut pupilla est quasi fax, stella, et parvus sol totum hominem illuminans, prelu-cens, dirigens, ut omnes viae et actiones clare et recte obire possit : nam sine luce pupillae homo caecus esset, nihilque peragere posset, sed in mille lapides et scopulos impingeret : sic pariter lex est lux hominem dirigens ad honeste rectaque ope-randum in quovis rerum occurrent. Unde Christus : « Lucerna, ait, corporis tui est, oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosus erit, » *Matth. vi, 22*.

Tertio, sicut pupilla, licet parva, in se res omnes, quin et caelum mundumque continet et com-prehendit : sic lex et disciplina, licet in rebus par-vis sita videatur, tamen in se continet omnem

honestatem, omnem virtutem, omne bonum, quin et caelum ac beatam aeternitatem, perennemque felicitatem.

Itae ergo verba sibi representent Religiosus et fidelis quisque, eaque sibi occini putet a Spiritu Sancto : Fili mi, custodi sermones meos, etc. si-cilicet pupillam oculi, non rursus exactissime, summo studio, amore, conatu, perfectione. Fugata ergo procul socordia ad perfecta, magna, celsa enitere, que tibi status et vocatio tua suggerunt. Si haec quotidie audis, nec obedis; si quotidie illis mo-nearis, nec moveris; excitaris, et non assurgis, nihil perfectum, nihil tua vocatione dignum ag-gredieris, utique invisus es illi, cujus adhortatio-nes spernis, et a cujus perfectione degeneras.

Porro si custodiverimus legem Dei ut pupillam oculi, ipse Deus vicissim custodiet et diliget nos ut pupillam oculi sui, juxta illud *Zachar. ii, 8* : « Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. » Quae sane res est mirae consolationis et spei, gaudi-umque obiectivum, is plane ad litteram memo-ritum Mosis et Salomo is servabit. Ita faciebant Judaei per sua phylacteria, qui non ob ea car-puntur a Christo, sed quod in phylacteris dis-taxat gestarent legem, non in corde, nec opere eam exsequerentur. Omitto iugas et superstitio-nes, quas posteriores Judaei phylacteris addiderat.

Secundo, Baynus apposite sic explicat, q. d. *Lex oculis mentique tuis semper obversetur*, perinde ac eisdem digitis obversatur. Rursum decem sunt Decalogi praepcepta, totidem tibi Deus dedit digitos. Cuique ergo digito per imaginationem et memo-riam affige unum praepceptum, primo primum, secundo secundum, etc. ut, quoties digitos tuos intueris, toties in illis De praepcepta quasi alligata intuearis, uti faciunt rhetores, et qui artem memo-riae docent. Hi enim partes orationis, vel rei re-cordandae, digitis cogitatione affigunt, per eosque ordine distribuunt, ut ita eorum intuitu singulo-rum ex ordine recorderentur, cum singula memo-riae referant, reddantque fideliter digiti quasi pi-gnora sibi commissa et concedida.

Tropologie, liga legem in manu et digitis, id est, isdem illam exsequere et operare. Ita Beda : « In digitis, ait, in actibus dicit : In tabulis cordis, in latitudine cogitationum. Unde et alia transla-tio dicit : Describe eam in latitudine cordis tui. » Sic et Lyranus. Addit Dionysius per digitos nolari discretionem; sunt enim digiti ab invicem dis-creti, q. d. a Liga legem in digitis, id est, ope-ribus eam cum discretionem associa. Sicut enim in manu vis operativa, ita in digitis vis discretiva mystice designatur. Unde Psalmista : Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad praelium et digitos meos ad bellum, » *Psal. cxliii, 1*. Denique Auctor *Coenae Graecor.* : « Per manum, ait, plena suisque numeris et partibus absoluta operatio designatur; per digitum autem simplex minusque perfecta. Ait ergo : Meis verbis, mea doctrinae obsecutus, cor ad virtutum susceptionem afflatus, capaxque et facile exhibeto. »

4. *DEX SAPIENTIAE : SOROR BEA ES* (ita Hebraea *aulo*, vel per *annulum insere ea digito*; sed *liga ea super digitos tuos*, ut habent Hebraea, Aquila, Symmachus et Theodotion ac Noster; Septuaginta, *circumpono eam digitis tuis* : hinc simplicius et planius accipias hoc ut paremiam, que non aliud significat, quam, q. d. Habeto legem jugiter praee oculis, habeto eam semper in mente, semper ejus recordare, et inquit, ac si illa digitis tuis alligata foret : solemus enim, cum alicujus recordari volumus, illudque praee oculis habere, digito filium vel quid simile alligare, ut illud rei, cujus recordari volumus, memoriam et quasi praesen-tiam sui, oculis mentique obiectat et sistat. Esse enim paremiam et similitudinem patet ex nota similitudinis quasi, cum ait Moses : « Ligabis ea quasi signum in manu tua; » eo enim alludit hic Salomon. Quod si quis religiosior legis memo-riam, filo, charta, similive re digitis alligare velit, oculisque obiectare, is plane ad litteram memo-ritum Mosis et Salomo is servabit. Ita faciebant Judaei per sua phylacteria, qui non ob ea car-puntur a Christo, sed quod in phylacteris dis-taxat gestarent legem, non in corde, nec opere eam exsequerentur. Omitto iugas et superstitio-nes, quas posteriores Judaei phylacteris addiderat.

3. *LIGA EAM IN DIGITIS TUIS* (Syrus, in *collo tuo*), SCRIBE ILLAM IN TABULIS CORDIS TUI. — Septuaginta, *circumpono eam digitis tuis, inscribe eam super latitudinem cordis tui*, ut scilicet eam jugiter in corde et pectore velut incisam et insculptam geras. « Ut semper animae tuae molitionibus aulet, » ait R. Levi. De quo plura dixi cap. III, vers. 3. Alludit ad il-lud Mosis *Deuter. vi, 8*; *Exodi xiii, 16* : « Ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et mo-vebuntur inter oculos tuos, » quod Judaei crasse ad litteram, ut sonat, accipientes legem Decalogi membranis inscriptam brachio, fronti et fimbriis affigebant et alligabant, eaque vocabant phylacteria. q. d. Conservatoria legis, ut patet *Matth. cap. xxiii, vers. 5*.

Molus noster Salazar haec accipit de annulis digitorum, q. d. Legis a me tibi tradite observa-tionem perfectam vice annuli digiti insere, atque id tibi per arrhabone et pignore ad nuptias sa-pientiae erit : exinde enim licet tibi sapientiam et prudentiam sororem tuam, id est sponsam con-jugemque pleno ore nuncupare. Solet enim in pupillis a sponso digito sponsae inseri annulus pupillarum pignus et arrhabo : atque in annulo volebat olim, incidi effigies sponsi, vel amici, reive adamatae. *Atalantus L-3* a digito quarto inseritur, quia in eo vena quaedam sanguinis ad cor usque pervenit, » ait Isidorus, lib. *De Offic.* cap. xv. Igitur annulus hic symbolum est amoris conjugalis, quod scilicet sponsa non tantum in annulo et digito, sed et in corde gerat, omnemque amorem in illum defigat.

Verum, quia non dicitur hic : *Incide ea in an-*

4. *DEX SAPIENTIAE : SOROR BEA ES* (ita Hebraea

Romana; male ergo aliqui legunt est), ET PRUDENTIAM VOCA AMICAM TUAM. — Septuaginta, *dicit sapientia sororem tuam esse, et prudentiam notam* (Chaldaeus, *cognationem reddere tibi*; Aquila et Theodotion, *et notam intelligentiam vocabis*; R. Salomon et Aben-Ezra, *sapientiam tanquam propinquam et affinem semper habeto*.

Sensus est, q. d. Sapientiam dilige et adama intime ut sororem unicam, omni decore ornata, illamque « sororia tibi dilectione conjunge, » ait Beda. Sic et R. Levi: « Dic, ait, sapientia: Soror mea es, ob amorem, quo illam complecteris. Et prudentiam voca amicam tuam, hebr. מִדָּוָד *moda*, id est bene notam et propinquam, ita ut semper cum prudentia et sapientia conjunctionem habeas. »

Sapientia recte vocatur soror: Primo, ob puritatem amoris, qua nos diligit, et vicissim a nobis diligitur, cum sponsa apud homines inuatur carnalem complexum.

Secundo, quia sapientia nobis quasi congenita et conaturalis est: illius enim semina et quasi rudimenta insevit nobis et ingeneravit Deus et natura. Ita Cajetanus. Rursum sapientia filia est primogenita Dei Patris, cujus pariter filius est homo, aequae ac angelus.

Tertio, quia sapientia soror est mentis et rationis: homo autem est animal mentis et rationis compos. Nam sapientia sive virtus non est aliud, quam perfectio rationis, sive amor boni rationalis, quod scilicet recta ratio amat ac dicitur, iudicatque ab omnibus esse amandum. Rursum sapientia supernaturalis est soror spiritus, sive hominis baptismi et spiritu Dei renati, ac effectus ad statum supernaturalem filiationis et hereditatis Dei. Huc allusit Christus dicens: « Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est. » *Matth. xii, 30.*

Rursum per sororem accipit sponsam et uxorem; ut enim juvenem aveoet a meretrice, offert illi sapientium sponsum, q. d. Si sponsam ambis, ambis sapientiam, ambis virtutem: sive enim sapientiam quaeras, illa sapientissima est; sive nobilitatem, illa nobilissima est; sive divitias, illa opulentissima est; sive speciem, illa speciosissima est. Illam ergo uti sponsam ama et complectere, cum eaque dissuaviare, ut ejus amoribus occupatus et implicitus, omnes spurcos meretricum, velut stultarum, infaniam, pauperum, deformium, amores fastidias et devites. Sic sponsa in Canticis vocatur a sponso « soror. » Primum enim sponsae et sponsi inter sorores et fratres, utpote filiae et filii ejusdem patris Adae. Hoc est quod ait Salomon Sap. vii: « Hanc amavi a juventute mea, et quasi sponsum am mihi eam assumere, et amator factus sum forme illius. »

Physice simul et ethice discite hic studium sapientiae esse optimum remedium ad fugiendam libidinem et servandam castitatem: tum quia membra occupata studio non cogitat de venere, tum

quia sapientia ex diametro opponitur veneri, perinde ac spiritus carni, colum terrae, Angelus bruto plane adversatur. Audi nostrum Alvarum de Paz *De Castitate*, lib. V, cap. lxxv: « Litterarum studia, praesertim sacrarum, optima sunt castitatis instrumenta, et juvenibus valde accommodata; quibus et necessaria sibi et aliis discunt, et sapientiae evadunt, et impudicitiae cogitationes avertunt. Quapropter Sapiens hujus utilis laboris meminit, ut juvenem ad castitatem incitaret: *Dicit sapientiae: Soror mea es; et prudentiam voca amicam tuam, ut custodiat te a muliere extranea, et ab aliena, quae verba sua dulcia facit. Si pulchritudinis, inquit, amator es, si verborum suavitate delectaris, ostendam tibi pulcherrimam sponsum, cujus amplexibus satietis; ostendam sororem fidelissimam et suavissimam, cujus alloquio miram percipias suavitatem. Sapientia tibi in sponsam data est. Nam quidam tui similis sum ego, qui et alio loco dixi: Quaesivi sponsum mihi et non inveni, et amator factus sum forme illius. Erit, inquam, sponsa tua perpetuo vinculo tibi conjuncta, propter quam habebis claritatem ad turbas, et filios ex ea, scilicet verissimos rerum sensus accipies. Est etiam soror tua ex eodem Deo patre progenita. Hanc ergo sororem voca, et amicam appella, seu (ut clarius loquar) in locum sponse, sororis et amicae habe. Si ita feceris, illa te a concupiscentia carnis liberabit, et ejus dolos ac fallacias, quibus te illaqueare nititur, deleget et dispellet. »*

Notum est exemplum S. Gregorii Nazianzeni, cui per visionem sese quasi amicae obtulerunt sapientia et castitas, specie duarum virginum sororum, eo quod ipse castitatis aequae ac sapientiae esset studiosus; quod superius recitavi. Sic hodie in monasteriis, ubi viget studium litterarum et sapientiae, viget pariter castitas et disciplina Religiosa: ubi jacet illud, jacent et haec.

Anagogice Polychronius in *Catena Graecor.* per sapientiam accipit contemplationem et vitam contemplativam, quam representat Magdalena; hinc enim dicit Martha, id est vita activa: Soror mea es, quia duae hae vitae quasi sorores, ab eodem Christo quasi patre procreatae et institutae, ad eandem in oculis hereditatem errendam ducent, atque utralibet ab altera quasi soror a sorore juvetur et fulciatur oportet: actio enim eget directione contemplationis, contemplatio vicissim indiget labore et fructu actionis.

8. UT CUSTODIAT TE A MULIERE EXTRANEAE (meretrice et moecha), ET AB ALIENA, QUAE VERBIS SUIA DULCIA FACIT. — Hebraice, *quae sermones sui sibi lenificat*; Vatablus, *quae verbis suis blanda est*; Symmachus et Theodotion, *cujus verba lubrica et mollia*; Syrus, *cujus verba blandiendo decipiunt*; Septuaginta, *quae te sermonibus adortitur gratisis*, uti legit S. Ambrosius, lib. I *De Caino*, cap. iv. Qui mystice haec exponens: « Duae enim mulieres, inquit, unicuique nostrum cohabitant, inimicitias se discordia

dissidentes, velut quibusdam zelotypiae contentioibus nostrae replentes animae domum. Una earum nobis avariati et amoris est, blandae conciliatrix gratiae, quae vocatur voluptas. Hanc nobis opinamur sociam ac domesticam, illam alteram immitem, asperam, feram credimus, cui nomen virtus est. Illa igitur meretricio prorexit motu, infracto per delicias inessu, nutantibus oculis et ludentibus jaculans palpebris rotia, quibus pestiferos juvenum animas capit (oculus enim meretricis laqueus est peccatoris); quemcumque viderit sensu indignum praeterantem in angulo, in transitu domus suae, sermonibus adortur gratisis, faciens juvenem volare corda, domi iniquita, in plateis vaga, oculis prodiga, pudore vilis, amictu dives, genas picta. Etenim quia verum decorum naturae habere non potest, adulterrinis facis affectate pulchritudinis lenocinatur specieem, non veritatem. »

Mystice quoque R. Levi: Sapientia, inquit, custodiet te a muliere aliena, ne scilicet obsequaris animas concupiscenti.

6. DE FENESTRA ENIM DOMUS MEAE PER CANCELLOS PROSPEXI. — Quia exempla delectando magis movent quam praecepta, hinc Salomon exemplo (sive vere id gestum sit, sive, ut volunt Vatablus, Jansenius et alii, arte compositum et comice confictum ad rem illustrandam) quod frequenter accidit, in medium adducit, quo ostendit quantum sit juvenibus a meretricio periculum; ac simul graphice meretricis mores, modosque illidendi et seducendi describit. Ait ergo: « Per cancellos prospexi. » Cancelli angusti et reticulati esse solent, quo fit ut qui per eos prospicit, alios videat, sed ab iis non videatur. Salomon ergo, ut mores juvenum specularetur, per cancellos prospicit, ut eos conspicias ab iis non conspiceretur. Sic enim praeceptor per cancellos in scholam et discipulos intuetur, ut ipsi nescientes se videri libere agant, indolemque et mores suos prodant, quos deinde ipse formet, corrigat vel dirigat. Idem facit Superiores, ut subinde secreto advertant mores indolemque subditorum, cum ipsi se liberos et a nemine carni putant. At sint memores istius dicit: « Ne quid nimis, » ne subtili advertentes omnia sua curiose notari ab eis alienentur, sicut diffidentes et pusillanimes, aut ficti et hypocrite, aut iracundi et effrontes. Idem facit Deus; ipse enim omnia videt, et tamen a nemine videtur, nisi a viris timoratis et perfectis, qui illuminato mentis oculo sciunt, cogitantque se ubique a Deo videri, ideoque omnia sua honeste sancteque agunt, ne qua in re oculos tante majestatis offendant. Viri ergo illuminati cancellos hosce retegunt, ipsumque Deum cominus semper intuentur.

Audi S. Bernardum in *Formula honestae vitae*, inter decem profectus spiritualis documenta hoc nono loco assignantem: « Nonum, ait, est ut quisquis quibuscumque negotiis implicatur, Deum in

corde memoriter studeat habere, et semper honorem Dei omnibus anteponat; sed ad hoc praecipue nitatur, ut sic semper Deum presentem intelligat, ac si ipsum, qui praesens est in sua essentia, videret: sique cum timeat et reveratur, et intenso amore in eum feratur, eoque prout potest in via fruatur, et in ipso non a alio requiescat. »

Septuaginta pro prima persona substitunt tertiam, itaque prospectum hunc non Salomoni tribuunt, sed meretrici et moecha, de qua sermo praecessit. Sic enim habent: « De fenestra enim e domo sua in plateas prospiciens, quemcumque viderit stultorum filiorum adolescentem inopem cordis, » etc. Ubi cancellorum non fit mentio, et pro prospiciens graece est *επιτηδεύων*, id est prout totoque quasi corpore inclinata, per fenestram circumaque prospectans: meretricis enim fugiunt cancellos, quia cupiant videre, ut videantur et ipse. Prima enim illecebra earum est, prospiciendo per fenestras ostentare se, et quasi offerre transeuntibus. Unde S. Ambrosius mystice pro meretricio accipiens quamlibet voluptatem et concupiscentiam, quae hominem ad peccatum illicet et sollicitat, lib. I *De Caino*, cap. iv: « Nam quid, ait, tam meretricium, quam secularis voluptas, quae a fenestra domus suae intrat, oculis prima tentamenta praebens, et penetrat cito sensum in plateas prospiciens, id est in publicas transeuntium vias, non autem in legis interna mysteria obtutum mentis intendens. »

7. ET VIDEO PARVULOS, CONSIDERO RECORDEM JUVENEM. — Pro parvulis hebraice est *כַּמְנִיחַ* *pe-thaim*, id est, ut Chaldaeus, *insipientes*; Septuaginta, *stultos*; Tigurina, *stupidos*; Vatablus, *simplices, imperitos, inexertos* (1).

Sensus est, q. d. Ego per cancellos prospiciens vidi multos per plateam inambulantes juvenes, incautos, imprudentes, inexertos, atque inter eos unum praeter ceteros recordem; Hebraeus, *carentem corde*; Chaldaeus, *deficientem intellectu*; Septuaginta, *inopem mentis*; S. Ambrosius, *indignum* (ita Romana, male ergo alii legunt *indignum*) sensu. Hanc juvenum veterum scite representat vetus emblemata. Nam veterum juvenentum pingebant quasi adolescentem nudum, velo quodam obducens oculos habentem, cujus dextra post tergum vincita erat, laeva soluta: hunc insequatur tempus multas occasiones subministrans, singulis vero diebus filum amum de velo, quo facies illius operiebatur, detrahebat. Cujus pictura haec est explicatio: Primo, nudus adolescens significabat quod aetas illa iudicio et ratione caret, et de malis quae gessit, gloriatur, tantum abest ut erubescat. Secundo, velatos habet oculos, quia tanquam

(1) Hebr. est, *tunc vidi inter simplices, imperitos, animadverti inter filios, juvenes, adolescentulum mentis carentem, seu recordem*, ut bene Vulgatus. Nam et Latini ut Hebraei cordis intellectum tribuunt, dicuntque *cor ei sapit*. Hinc cordis defectus idem est qui sapientia.

caecus per singula saepe momenta offendit, et in vitia praecipos fertur, non habens alium ductorem quam praece suos affectus. *Tertio*, dextram habet ligatam, et sinistram solutam, quia nihil dextere et considerate agit, sed omnia sinistra, inconsiderate, perturbate, prout pravo affectu ducitur. *Quarto*, hunc persequitur tempus ad mortem. *Quinto*, tempus filium unum de velo, quo ejus clauduntur oculi, quotidie detrahit, quia ejus vita sensim per singulos dies minuitur, et quo plura detrahuntur fila, eo clarius animadvertit, quam prave incedat, quotque pravis affectibus quasi tyrannus vincitus teneatur: et experientia dicit matrescentem sensim etate, quo miser tendat, quamquam plurimi sint, qui nec affecta jam etate a pravis adolescentie moribus recedant; sed in morte videntes suam vanitatem et stultitiam, ac pericula aeternitatis, sapient, sed sero. Vide exemplum Chrysaorii clamantis: « Inducias usque mane, » apud S. Gregorium, IV *Dialog.* cap. xxxviii. Porro sagaces sunt meretricis, ut juvenem recedem dignoscant et adortantur, non cordatum et eastum; idque dignoscunt ex habitu et vultu, sed maxime ex oculis. Cum enim vident oculos vagos, lascivos, curiosos, agnoscunt recedendum; cum vero vident oculos graves, modestos, constantis, agnoscunt illos esse sapientes, eumque fugiunt. Unde Palladius in Vita S. Chrysostomi: « Infelicia agit, scorta ex ipso oculorum motu pudicos agnoscunt ac fugiunt viros; non secus atque infirmos oculis solis jubat, et vultum anguentum, » scilicet « fur furem, lupa lupum, ac viceissim agnus agnum, leo leonem, » ut vulgo dicitur.

3. QUI TRANSIT PER PLATEAM JUXTA ANGULUM (1), ET PROPE VIAM DOMUS ILLIUS. — Sic enim solent proci et rivales amicarum domus nocta obire et ambire, ac juxta angulos inambulare, ut in iis vel abscondere se, vel per diverticula elabi queant, si quis eos insequatur.

9. GRADITUR IN OBSCURO, ADVESPERASCENTE DIE, IN NOCTIS TENERIBUS ET CALIGINE. — Hebraice, *in crepusculo, in vespera diei, in nigredine noctis et obscuritate* (2). Libido enim lucifuga est, et tenebras quaerit, utpote male sibi conscia, pudenda et infamis.

10. ET ECCE OCCURRIT ILLI MULIER ORNATA MERETRICIO (Hebraice, *habitu meretricis*; Septuaginta, *speciem habens meretriciam*), PREPARATA AD CAPIENDAS ANIMAS, GARRULA ET VAGA. — Pro preparata ad capiendas animas, hebraice est *לִבְנֵי נַפְשׁוֹת* *netsurath*

(1) Post *angulum* hebraea addunt *ejus*, id est juxta domum meretricis in platea angulo constitutum, vel quod probabilius, juxta eum angulum, in quo a meretrice observari poterat, id est, juxta angulum illius plateae, in qua domus meretricis constituta erat, cui interpretatio favent quae subjunguntur, et *viam domus ejus*, quae eam ad ad us domum, *gressus est*.

(2) Proprie, *in pupilla noctis*, id est media nocte, quod expressit Graecus Venetus, *ἐν μέσῳ νυκτός*.

leb, id est *custodia* (3), *reservata corde*, id est *vafa*, callida, insidiosa, illecebrosa, ut capiat animas juvenum. Aut *observata corde*, id est *quae cor habet quod observat juvenes. eisque insidiat, ut decipiat*; Pagninus, *anxia corae*; Vatablus, *cauta corde*; Cajetanus, *immunita corae*; R. Salomon, *manita corae*. Sicut enim civitas circumdatur munitioibus, ita meretricis cor calliditate et stultitia circumdatur. Alii per antiphrasin vertunt, *incustodita corde*, quae scilicet cor habet liberum, impudens, vagum, volaticum, reges ac oculos et manus. Unde et tales facit oculos et corda juvenum sese assectantium. Quocirca Syrus et Septuaginta vertunt, *quae facit juvenum volare corda*, ut volaticam volatici sequantur; forte Syrus et Septuaginta pro *נִצְרָת* *netsurath*, legerunt *נִצְרָת* *netsetsath*, id est *evolare faciens*; *נִצְרָת* *notis enim est avolare*; inde *נִצְרָת* *notsets in poet est avolare facere*, idque cum impetu et rapacitate quasi ad praedam: inde enim a rapacitate accipitur dicitur *nets*; unde aliqui *nisum avem rapacem dicitum putant*. Sic enim meretrix juvenes quasi nisos ad se velut praedam allicit, et avolare facit. Denique Baynus vertit, *anxia corde*, vel *ligata corde*, hoc est, anxietate cordis amore simulans; ut *netsurath* sit a verbo *נָצַר* *tsur*, id est coartare, non a *נִצְרָת* *netsur*, id est servare. Possunt hae verba *netsurath leb*, id est corde ligata sive anxio, referri ad cordis secreta et dissimulationem. Ego, ait Baynus, mallea referre ad habitum corporis et ornatum, quem laxum et lascivum gestabat, sed circa praecordia strictam et colligatam, ut corporis elegantiam ostentaret. Chaldaeus alio sensu vocem hebraeam *netsurath* interpretatur, nempe pro fortitudine, ut sit sensus: *Fui habitu meretricio dissoluta et effeminata, sed corde robusto et virili, utpote inverecunda et impavida. Potest denique exponi desolata, sive destituta corde*, hoc est sine intellectu, juxta illud *Isaia* 1, 8: « Sicut civitas quae vastatur; » Hebraice, *netsur*, id est *desolatur*; R. Levi Ben Gerson ad habitum sive ornatum meretricium refert, *q. d.* Erat nudo collo et pectore corde tenuis, quod vestitum et lectum habebat. Et hunc sensum ex Chaldaeo loquitur intelligere, cum vox Chaldaea utrumque significet fortitudinem et absconsonem. David Kimchi *וְעַל* *vel*, *tit, observata corde*, a verbo *natsur*, ut sit sensus: Erat cauta, quae cum alios deciperet, ipsa decepta non potuit. Haec Baynus.

Describit illecebras meretricis: *Prima* est, *tumultuosa et ornata meretricis*; nam lege et usu Romanorum aliarumque gentium, meretricis inceduntur habitu ab honestis matronis diverso. Vide Alexandrum ab Alexandro, lib. V *Genial.* cap. xviii. Rursus meretricis orant se supra oculos et statum; atque ornatus earum est levis, illecebrosus, spirans amorem. Qua de causa multae ribes vel

(3) Ita Rosenmullerus. Schultens, *ficta corde*; Maurer, *tecta corde*; Ewaldus, *obfirmata, obstinata corde*.

coccinea tunica incedunt: cum matronarum etiam nobilium et divitum ornatus sit gravis, castus, et sepe pullus aeternus. Esto enim sub noctem oberrare dicit meretricem, tamen sublustrem noctem notat, cum sit adhuc ornatus conspici potest. Adde eam per diem ornare se, ac ornatum se exhibere in ostiis et fenestris juvenibus transeuntibus conspiciendam. Unde S. Cyprrianus, lib. *De Habitu virginum*: « Ornamentorum, ait, ac vestigum insignia, et lenocinia formarum non nisi prostituta et impudicis feminis congruunt; et nullarum fere pretiosior cultus est, quam quarum pudor villis est. In *Apocal.* cap. xvii describitur meretrix illa perdita, cum qua fornicati sunt reges terre, amicta pallio purpureo et coccineo, » etc. Multa de hoc ornatu dixi *Isaia* cap. iii, vers. 26, et I *Petri* cap. iii, vers. 3. Notat Noster Pineda in *Salomoni praevio* lib. VII, cap. viii. Hebraicum *תָּוֹכַח*, id est *ornatus*, posse verbi spinam aut verpes. Sic enim vertit Noster *Isaia* cap. v, vers. 6, et cap. s, vers. 17, et cap. xxvii, vers. 4. Et eadem vox cum levi punctorum mutatione *Psal.* lxxii, 6, similiter pro operimento, vel ornamento iniquorum: « Operi sunt iniquitate et impietate sua, » *q. d.* Etiam spinis ornantur, quae alios pungant, et instar hami aliojuxta rapiant quidquid ipsis applicatum fuerit. Ubi Chaldaeus legit, *coramam imponent capiti suo de rapina sua*. Itaque ornatus meretricis est spina, est hamus pungens oculos libidinosorum. Cum enim videant quod concupiscunt, sed frequenter frui non possunt, necessarium est frequentissime dolere, et, ut S. Petrus dicebat, habere oculos plenos adulterii et incestus delicti cum desiderio, quod ex cruciat animum. Sic Alexander Magnus dicebat Darii filias esse dolores oculorum; erant enim speciosae.

Secunda est, quod *preparata sit ad animas capiendas*, quod scilicet mille navi, milleque alias indies cogitet artes et fucos, quibus incautos illi ciet et seducat.

Tertia est, quod *garrula sit et vaga*; Pagninus, *tumultuosa et perversa*; alii, *clamosa et proterva*, vel, ut Chaldaeus, *prevaricatrix*; Vatablus, *strepens et inconstans*; Syrus, *rebellis et comessatrix*; Septuaginta, *ἀνεταπεινω καὶ ἀνορθος*; quod Complutenses vertunt, *elevata est* (superba) et *luxuriosa*; Romana, *vaga est et luxuriosa*; alii proprie, *volatica*, sive *alata est et infructiva*; Aquila, *αὐτὴ ἐλαττα*, id est *vacans est otioque diffuens*; alius, *tumultuosa est insular fremensium fluctuum, latratrix instar canum, personans instar ursorum, tumultuans instar ebriorum vel populi furens* (1).

Porro mulier haec dicitur *vaga quasi vacua*, quod sine negotio temere haec illicque discurrat. Ita Perrotinus; aut *vaga quasi vacua agens*, vel *vadendo agens*. Ita Papius: « Vagus, ait, dicitur erraticus, discurrens, vadendo agens. Vagatur, discurrit

(1) Maurer, *impetuosa sicut et indomita est, discipulata rucens in omnem libidinem*.

vagus et dissolutus: dispersus est, errat, vagus agit; aut *vaga quasi et acta*: agitur enim aestu cupiditatis, uti vacca agnatur aestro.

Ex adverso matrona honesta et virgo, *primo*, ornat se modeste; *secundo*, praeparat se, ut alias ad modestiam et verecundiam adducat; *tertio*, pauca loqua est et *obscure*, id est domus castus, ut ait Apostolus, *Tit.* cap. n, vers. 3, ubi dixi ejus symbolum esse testudinem, quae semper est domi, quia domiporta domum suam secum deferret: quae enim vagatur instar Danae, saepe « Penelope venit, abit Helene, » ut ait Poeta. Ita de S. Bernardo qui virginum fuit flos et decus, scribit auctor *Vite ejus* lib. III, cap. ii: « Incessus ejus, et habitus omnis modestus et disciplinatus, preferens humilitatem, redolens pietatem, exhibens gratiam, exigens reverentiam, solo visu haeficans et adhaerens intuentibus. »

11. QUIETIS IMPATIENS, NEQ. VALENS IN DOMO CONSISTERE PEDIBUS SEIS. — Hebraice, *in domo non habitant* (Septuaginta, non quieteant; Chaldaeus, non morantur) *pedes ejus*.

12. NUNC FORIS, NUNC IN PLATEIS, NUNC JUXTA ANGELOS INSIDIANS. — Chaldaeus, et *contra omnem angulum opportuna*.

Quarta est haec conditio et illecebra meretricis, quod, cum ardeat libidine et studio alienandi amansio, sit instabilis et nequeat domi consistere; sed nunc ad ostium, nunc in plateis, nunc in angulis sese ostentat, et impudice insidietur pudicitiae juvenum, cui tam ardentem inhiat. *Et nunc foris, nunc in plateis*, idem est, *q. d.* Nunc furat ante iedes, nunc longius in plateam progressa. Ita Baynus et Jansenius. Aut, ut noster Salazar: *Foris*, inquit, id est in lumine domus atque in vestibulo; *is enim solet subesse sensus illi partibus foris*. *Cantic.* viii: « Ut inveniam te foris, » id est in limine. Et S. Mathaeus, cap. xxvi, vers. 69, de Petro ait: « Sedit foris; » Lucas vero locum expressius significans habet: « Sedit foris ad ostium foris, » id est, in vestibulo domus. Ergo cum haec mulier domi pedes coercere non possit suos, nunc foris erit, id est in limine domus sedit; nunc in plateis (crescit oratio) juxta angulos insidians.

Porro haec mentis pedumque instabilitas, evagatio et discursatio evidens est signum meretricis. Unde Tiraquellus in *legem* 10 *convivialium*, num. 34, ex hoc loco, et ex lege 41 *qua ritibus*, docet quod ea meretrix praesumitur, quae alienas domos, nunc hanc, nunc aliam intrare consuevit. Hinc et meretricis vocabantur peregrinae. Unde Comicus in *Andria*: « Adeone, ait, es demens in peregrina? » id est, in meretrice, inquit fibent Donatus: mulieres enim peregrinae, inhonestae et meretricis habebantur. » Et in *Eumecho*, Parmeno, cum Thais dixisset matrem suam Samiam fuisse, et habitasse Rhodi, tacere se posse respondit, quoniam videlicet verisimile esset posse meretricem nasci ex peregrina et ipsa meretrice: dixerat enim

Phariseo taciturnum se quæ vera a Thaide dicebantur.

13. APPREHENSUMQUE DROSOCALATUR JUVENEM, ET PHOACI VULTU BLANDITUR, DICENS. — Pro *proci* hebraice est *forti* facte, id est, et Chaldaeus, Septuaginta et Figurina, *impudenti facie*; Theodotum, *impudentem erit in vultu suo*; Symmachus, *audaciter obduravit faciem suam*; Syrus, *fronte perficiata inquit illi*. Huc pertinet proverbium Arabicum: « Homo sine penitentia est tanquam fluvius sine aqua, et mulier sine verecundia est tanquam lampas sine lumine. »

Quanta est hæc conditio et illecebra meretricis, qua manifeste prodit suam impudentiam et libidinem per impura oscula, blanditias et verba: sicut enim manus usu et exercitio callo obdurescent, sic et frons usu scelerum perficitur impudente callum induit.

Sapienter S. Basilus, tract. *De Virgine*, docet cavenda esse oscula etiam fratrum et sororum: « Sufficit enim, ait, peccatum, et per factum fratrem manus, et per pacis ac dilectionis osculum, sensum carnis ad sua molientia opera latenter excitare, et concupiscentias oculos, sicuti Adæ, post voluptatis gustum amplius ad malum aperire. » Citat Philosophum dicentem: « Oscula carere oportet, non secus quam animalium venatorum morsus; diffunditur enim venenum ex osculo per omne corpus, etc. Est enim gravis, ac vehementer insula masculinis corporibus adversus feminas flagrantis concupiscentia vis, hæstet stupida, quæ si ignem odorata fuerit, protinus inflammata succenditur. »

Audi et auctorem *Catena Græc.* hic: Osculum, inquit, insani diabolicæ amoris est argumentum; incensusque et libidinosis animi sensus ad obscenum turpeque veneris commercium, data opera iuvilians hominemque provocans. Cum autem dicit: « Victimæ pacificæ est mihi, » aperte mentitur, siquidem malitia nihil habet vere pacatum, eademque vultum nostrum robore magis perfundere, quam sinceræ dilectionis recreare sagittat. Quare externa persona assumpta multa, que ad fraudem et imposturam faciunt, committitur. Hæc ille.

Memorable est quod in Vita Gregorii VII Pontificis legitur, eum gratia compunctionis fuisse privatam, eo quod nocte neptis suæ manu trasset. Et in Vita S. Apollinaris scribit noster Baderus, eam virili vestitu inter monachos vitam egisse; cui negotanti eum infirmarius assisteret, identidem illum pensis tentationibus libidinis, ideoque exclamass: « Monachus hic, aut diabolus est, aut femina. » Denique S. Ephrem adversus improbas mulieres: « O malum, ait, malorum pessimum mala mulier! laqueus comptus, naufragium super terram, fons nequitie, thesaurus immunditiæ, mortifera conversatio, oculorum perniciēs, animarum exitium, cordis spiculum, conscientiam inferna, concupiscentia præcepis, causa

diaboli, requies serpentis, diaboli consolatio, dolor inconsolabilis, caminus insensuus, eorum qui salvantur offensio, malitia incurabilis, officina demonum, amor flagitiosus, bestia impudens, incontinentissimus impetrix, offensatum eos rerum amaram, triumphus tenebrarum, dux delictorum, oblectamentorum magistra, insatibilis concupiscentia nequitie, eterni supplicii conellatrix, prudentia terrena, viri seordia, vipera vestita, pugna voluntaria, quotidiana calamitas, procella domus, viri naufragium, immanis bellum, adulterorum diversorium, arma diaboli, expetita rabies, exorata mors. » Unde contra eam hoc remedium suggerit: « Cogita terram esse quod miraris; cinerem, quo incenditur et comprimetur insana tua cupiditas. Explica quoque facies pellem cogitatione, et cernes tunc omnem ejus pulchritudinem esse villitatem: nihil enim nisi ossa, nervos fetoresque reperies. Erubescere quid miraris. Erubescens respisce, et penitentiam age. »

14 et 15. VICTIMAS PRO SALUTE VOTI, HODIE REDIDI VOTA MEA (Hebraice, *victimæ pacificorum super me*; Syrus, *sacrificia pacifica sunt hæc*; Septuaginta, *sacrificium mihi est hodie, reddo vota mea*). Dico egressa sum in occursum tuum desiderans te videre, et reperi. — Septuaginta, *desiderans faciem tuam, te cœni*; Chaldaeus, *propterea egressa sum in occursum tuum, quippe me ventem ad querendum societatem, quod diceram me te adducturam, vel te a me reperitum iri*.

Primo, Baynus ex Hebræo sic explicat, q. d. Nunc obligata sum reddere victimas pacificas in gratiarum actionem (quas homines solent reddere, dum votorum compositos sunt), posteaquam te adeo desideratum et quesitum invenerim. Jam dudum votum feceram de victimis pacificis solvendi, quum primum tui composit fierem; ecce jam composit facta, solvam que voti; hodie mihi occurristi, hodie reddam et solvam vota. Verum Noster verit, *reddidi*, in præterito, non *reddam*, in futuro.

Secundo, alii q. d. Victimæ pro salute voti et obtuli; hæc de causa egressa ut te reperirem, ecce illico te reperi. Hic enim est fractus votorum et victimarum mearum, quæ utique tantum bonum meruerunt et impetrarunt. Quo dicto meretrix impudenter se suæque Deo placere mentitur, ac Deum in partem sui sceleris trahit, quasi Deus faveat et cooperetur ejus lenocinis, ideoque juveni de scelere non esse erubescendum, utpote quod secundum et prosperum fuit. Que sane invidiosa est blasphemia in Deum; sed ad eam cœcus agit libido.

Tertio et genuine, q. d. Ecce voti Deo victimas pacificas pro tua meaque salute: tantum enim mihi est salus tua, quanti mea; atque hodie eas obtuli, ex eisquo de more convivium opararum (hostia enim pacifica majori ex parte cedebat offerenti, qui ex ea suis epulum apparabat, ut dixi *Levit.* iii) tibi instrui; ideoque egressa sum

ut te ad illud invitum et deducam; et ecce, quæ bona est utriusque nostrum sors, illico te reperi. Eamus ergo, epulemur, ut in bonis duceamus diem hunc, tam nobis faventem et fortunatum. Ita Hugo, Cajetanus, R. Salomon, R. Levi, Jansenius et alii.

Scita est hæc meretricis et mœchæ illecebra, scilicet sacrificium simul et epulum, ad quod juvenem invitât, ut ad luxuriam perducatur; venter enim cibo merogæ estuans despumat in libidines, ut ait S. Hieronymus. Et S. Paulus, I *Timoth.* v, 6, loquens de vidua: « Quæ, inquit, in deliciis est, vivens mortua est, » q. d. Corpus deliciosum est castitatis sepulchrum. Addit S. Chrysostomus, hom. 2 *De Lazaro*, ipsum esse mentis et animæ sepulchrum: « Mortuus est, ait, dives et sepultus est, nimirum animus illius in corpore tanquam in monumento defossa, ac sepulchrum circumferente, nempe carnem. Non secus enim ille, quam si catena quadam temulentia ac ventris inglutivie, vincens esset, sic otiosam illam ac mortuam reddiderat. » Alludit ad illud Platonis in *Cratylo*: « Sœpula dicitur quasi *σῆμα*, quod corpus sit quasi sepulchrum anime. »

16. INTRIXI FUNIBUS LECTULI MEI, STRAVI TAPETIBUS PICTIS EX ÆGYPTO. — q. d. Ut mollis cubes, non tabulis ligneis ideoque duris, sed funibus lineis vel laneis, ideoque mollioribus instravi et contexi lectulum meum. Septuaginta Romana pro *funibus*, habent *institibus*. Instita erat tenuissima fasciola, quæ stolæ extremitatem ambibat eique subsuebatur, qua matronæ honeste utebantur. Unde Aquila et Theodotus vertunt, *peristromatis circumstrata*. Verum melius Complutenses Græcum *μαγιά*; *μαγία τῶν ὀφθαλμῶν* vertunt, *funibus telendi lectulum meum*; quod plane consentit cum Nostro, ac cum Hebræo et Chaldaeo, qui habent *stragulis*, puta funibus substratis, *stravi lectulum meum*. Idem significant insitæ, puta funes delicatiores, quibus quasi fasciis substratis erat lectus ad molliter cubandum. Syrus, *stramentis lectulum meum stravi, et ornamentis lecti Ægyptiis illum ornavi*. Porro stramenta vel stragula hæc pretiosa fuisse patet ex Hebræo *marbaddim*, quod Noster cap. xxxi, vers. 22 vertit, *stragulatam vestem*.

STRAVI TAPETIBUS PICTIS EX ÆGYPTO. — Sic et Septuaginta et Chaldaeus, atque Hebr. *מַטְבֵּי חַתְבוּת*, id est *incisa*, significat tapetes; quia hi variis florum, hominum, animalium figuris inciduntur et insculpuntur. Addit Aben-Ezra: Tapetes hi erant *chatuboth*, id est incisi in modum anguli ad similitudinem templi. Porro vox Hebræa *ethim* hic tantum reperitur, quam Chaldaeus, Vatablus et alii vertunt *funem*; Septuaginta et Noster (quibus, utpote antiquioribus et eruditioribus, magis erendum est) vertunt *picteis*. Tapetes enim omnes varias continent picturas, atque in picturam elegantiam eorum ornatus consistit. Unde et Theodotus verit, *descripsi picturam Ægypti*. Aliqui per tapetes pietos accipiunt delicatissimas eas-

demque variegatas sindones; hæc enim fiebant ex lino præstantissimo Ægypti.

Quare longius abiit Vatablus, cui sic verit et explicat: *Tapetibus adornavi lectum meum, qui constat chatuboth, id est lignis calatis et funibus Ægyptiis*. « Calata ligna, ait, vocat asseres incisos et elaboratos, qui texti erant lino Ægyptio, quod est in summo pretio; » et Baynus, *ornamentis ornavi lectum meum, trabibus calatis, funibus Ægyptiis*; et Pagninus, *tapetibus adornavi lectum meum incisis fave Ægyptio*; et Cajetanus, *parvimentis parvimentavi lectum meum elevatis funibus*; et R. Levi, *lectulus, ait, confectus est ex incisione cedrorum; funes vero per eum extensi sunt reticulati ex canudo Ægyptio, id est confecti ex canabe purissimo Ægyptio, cum ibidem sit sericum præstantissimum: sericum, id est byssus, puta linum, uti ostendi *Ezod.* xxv, 4. Ubi videas in quam varia quasi augurando abeant, qui a Vulgata, qua Septuaginta recedunt. Quare hæc iuv. cum consentientibus, non illis, attendendum esse æquus prudensque lector censebit.*

Moraliter, discere hic lecti molliorem esse pulvinar diaboli; incitat enim ad lasciviam et libidinem. Unde Amos, cap. vi, vers. 4, illi vice æterna maledictionis intentat: « Vos, ait, qui opulenti estis in Sion, etc., qui dormitis in lectisburneis, et lascivitis in stratis vestris, etc., bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibati! » Taisi fuit dives epulo, qui propterea sepultus fuit in inferno. Quocirca S. Chrysostomus, hom. 1 *De Lazaro*, docet fideles imitantium esse Davidem ejusque lectum regalem: « En, ait, ostendo tibi lectum B. David. Qualis igitur notat ille? non argenteo et auro, sed undique lacrymis et confessione erit exornatus. Hæc ipse factur, ita loquens *Psal.* vi: Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Itaque vice margaritarum undique lacrymis erat distinctus. » Et inferius: « Vis tibi alium commonstron lectum Iacob? solum habebat substratum, et lapidem capiti suppositum, eoque vidit illum intelligibilem lapidem, easque scalas, per quas ascendebant et descendebant Angeli, *Gen.* xxvii. Hujusmodi lectos excogitemus, ut ejusmodi videamus insomnia. »

Mystice, meretrix est quævis cupiditas, ac speciatim hæresis, cui hæc omnia adaptant Beda ac Basilus, Gregorius et Olympiodorus in *Catena Græc.* Hæresis enim est superba, tumultuosa, clamorosa, instabilis, ac quod uno die asserit, sequenti negat, indesque nova dogmata figit et refigit, imo fingit et refingit. Notat autem Basilus voluptatem esse causam hæresis, uti hic innuitur; ut enim homines voluptati sine metu nunquam indulgeant, negant fidem et nomen, iuxta illud: « Dixit insipienti in corde suo: Non est Deus, » *Psal.* xiii, 4.

17. ASPERSI CUBILE (Hebraice *מִטְבֵּי מִסְכֵּי* *miscabi*, id est *lectum*) MEUM MYRRINA, ET ALIO, ET CINNAMOMO. — Vatablus *cubile meum odoratum reddidi myrrina,*

etc. Aliqui hæc accipiunt de liquore vel suffitu. Unde Paganus vertit, *suffit*; alii, *perfundi*. Planius hæc accipias de ipsis aromatibus vel eorum floribus; his enim meretricis solere suos lectos aspergere, patet II Paral. xvi, 14, ubi de Asa rege dicitur: « Posuerunt eum super lectum suum, plenum aromatibus et unguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte composita. » Unde Theodotus vertit, *cubile meum myrrha exalans*, id est ornavi, compsi; Septuaginta vero, *aspersti cubile meum croco, et donatum meam cinnamonom*.

Myrrham odoratam esse, eaque aspergi solere vestes et lectos, patet Psal. xlii, 9. De alio vide Plinium, lib. xxvii, cap. iv, et fusius Dioscoridum, lib. iii, cap. xxi, ubi tradit aloem florem album germinare, qui gratum odorem expirat. De cinnamonom quam odoratum sit, præsertim si distillaret, experientia constat, et docet Plinius, lib. xv, cap. vii.

Septima est hæc aromatum et odorum illicebra, quæ corpus mentemque sua suavitate emolli et effemmat: a Voluptas enim est esca malorum, ait Plato et ex eo Cicero in *Catoe Majoris*. Quocirca Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædagog.*, cap. viii, docet Christiano fugiendos esse deliciosos odores et unguenta, primo, quia excitant molliem et libidinem; secundo, quod S. Magdalena penitens esse obtulerat Christo, unguens ejus pedes: « Eo, ait, quod apud se pulcherrimum esse existimabat, nempe unguento, honoravit Dominum, atque etiam ornamto corporis, nempe capillis suis, abstersit unguentum quod redundabat, libans Domino lacrymas penitentis: propterea ejus peccata remissa sunt; » tertio, quod Apostolorum et fidelium sit fragrare virtutibus non aromatibus, ac eum sponsa dicere Christo sponso: « Trahe me, post te curremus in odorem unguentorum tuorum, » Cant. 1. Unde Apostolus II *Corinth.* ii, 14: « Deo gratias, inquit, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et odorem nobilitatis sue manifestat per nos in omni loco; quia Christi bonus odor sumus Deo, » etc. Unde concludit Clemens: « Oportet viros imprimis apud nos unguenta non olere, sed vite probitatem. » spiret autem femina Christum, qui est regalis unctio, non unguenta, et diapasmata; divina autem semper unguatur pudicitie unctio, sancto delectata unguento, nempe spiritu. Hanc suavis odoris unctionem hominibus notis suis Christus comparat, ex aromatis celestibus hoc unguentum componens. Hoc autem unguento ipse quoque Dominus unguatur sicut per David meminit Psal. xlii: Propetere unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. Myrrha, et stacte, et casia a vestimentis tuis. » Et post nonnulla: « Suavis autem odoris studium est esca olii et mollietatis, quæ ad libidinosam et intemperantem cupiditatem paulatim attrahit. Et sicut boves (et bubali per mare) annalis et tanibus, ita etiam in-

temperans suffitibus et unguentis et suave olentibus coronarum odoribus trahitur. » Et inferius: « Desipientes autem mulieres, quæ canos quidem tingunt, capillos autem unguunt, celcius canescunt propter aromata desiccatorum. Quocirca sunt etiam, qui unguuntur, siciores; facit autem siccitas caniores; sive enim canities est pilorum exsiccatio, sive calidi defectus, siccitate propriam pilorum nutrimentum ebibente humidum, et efficiente canos, quomodo unguenta adhuc amavimus, propter quæ cani fiunt qui canos fugiunt? Quemadmodum autem, qui naribus sunt sagacibus canes, feras odore investigant: ita ex nimis curiosa unguentorum fragrantia, qui moderati sunt et temperantes, venantur intemperantes, » ideoque male olentes et putidos agnoscent. Idcirco enim meretricis odorifera circumferunt, ut suum fetorem contegant, quia ipse putent et pessime olent, juxta illud Poeta:

Posthume, non bene olet qui bene semper olet.

Subdit Clemens valde odorata nocere corporibus: « Nux, ait, emittit spiritum, qui torporem et veterum immittit, ut vel ipsa ostendit nominis etymologia (nux enim græce dicitur *κακη* καὶ τὸ κακόν, hoc est a torpedine, aut gravidine); narcissus vero flos est gravis odoris: id autem arguit nominis appellatio, ut qui nervis *κακός*, hoc est torporem, afferat. » Clementi adspulter Plinius lib. xv, cap. xxi: « Caryon, ait, a capitis gravidine propter odoris gravitatem convenit dictum. » Sic et *nux* Latinis dicitur a nocendo, quasi: noxa. Unde Ovidius epigram. de Nuce:

Quoniam nata ledere dicor,
Imus in extremo margine fundus habet.

Nux enim generale est nomen fructuum omnium, qui duro clauduntur cortice, sicut *pomum omnium* qui molli sunt cortice. Unde sunt nucis myristicæ et odoratæ: quin et ex nucibus vulgaribus fit oleum et unguentum, multo magis ex nucibus pineis, cedrinis, cypressinis, etc.

Clementi consonat S. Ambrosius, lib. I *De Cois.* cap. iv: « Spargit, ait, odores suos voluptas, quia Christi odorem non habet. » Et S. Chrysostomus hom. I *De Lazaro*: « Miles es spiritualis, ait: talis autem miles non dormit in lecto uberno, sed humi; non obliuatur unguentis, nam ista cura est meretricis amoribus impiorum ac perditorum, scenecorum, mentisque deploratæ hominum. Te vero non oportet olere unguentum, sed spicere virtutum; nihil immundius anima, quoties corpus talenti habet fragrantiam. Corporis enim ac vestium fragrantia arguit intus latere animum graveolentem et immundum. Quam enim diaboli aggressus deliciis eviraverit animum, omnibus a vestimentis tuis. » Et post nonnulla: « Suavis autem odoris studium est esca olii et mollietatis, quæ ad libidinosam et intemperantem cupiditatem paulatim attrahit. Et sicut boves (et bubali per mare) annalis et tanibus, ita etiam in-

contaminant, eo quod subinde narium profuvium abstergit; anima quoque istius pravi profuvii militiam in corpus abstergit. Quis enim præclarum aliquid, aut bone frugis, opinatur de eo qui spirat unguenta? »

Horribile hæc de re narrat exemplum B. Petrus Damianus Cardinalis, epist. ad *Blancam Comitissam*, cap. xi, et ex Baronio, tom. X, anno Christi 998, m. 20, de uxore Ducis Venetiarum, quæ ita delicate vivebat, ut aquas communes dedignata, rore cæli a famulis undique collecto sase ablueret. Ejus porro cubiculum tot thymiamatum aromatumque generibus rodebat, ut pudor sit referre. Hæc enim, ulciscens hanc molliem animo, toto corpore computruit, adeo ut nemo famulorum ejus fetorem ferre posset. Sensim ergo computrescens, doloribus putiditia miserabiliter cruciata diem clausit extremum.

Superior fuit magnus Arsenius, de quo hæc legitur apud Surium, die 19 julli: Aqua, qua palmarum ramos madefaciebat, ut fierent molliores, nunquam ab illo mutabatur; sed sic dum manebat, ut tandem corrumpere maleque oleret, et aspectu tetra esset; adeo ut quidam ex Patribus senem rogarent cur hoc faceret, et ei explorarent scordiam. Is vero: « Cum, ait, suavolentia et aromatibus prius usus sim, odoratus dummodo modo corrigo contrariis. »

18. VNI, INEBRIEMUR UBERIBUS, FRUAMUR CUPITIS AMPLEXIBUS, DONEC ILLESCAT DIES. — Solent enim luxuriosi vario uberum contactu explorare suas libidines. Unde Hebraea vox *דודים* *dodim* tam amores, quam ubera significat. Quocirca Septuaginta vertunt, *veni, et fruamur amicitia* (Syrus, *fruamur amore*) usque ad dilucubum; *veni, et collectetur capidines*; Aquila, Symmachus et Theodotus, *circumpleximur in amoribus*; Chaldaeus, *veni, delectemur amoribus usque mane, et nutuo adhæreamus desideris*; Tigurina, *ades, amori indulgebimus in erastinum usque, amore nos exhibebimus*.

Nota *inebriemur*, id est satiamur, expleamus ad satiem nostram libidinem. Sed et vere libido mentem inebriat, id est demorat, ut luxuriosus instar chrii dicat et faciat infanta, quæ sobrius et sane mensis compos non auderet dicere vel facere, imo nec cogitare, ut docet S. Chrysostomus, hom. 8 contra Judæos.

Octava est hæc illicebra uberum et amplexuum, eaque ut impudentissima et patentissima, sic et summe illicebrosa ac potentissima; amplexus enim luxuriosi sunt proxima dispositio ad concubitum, ejusque initium et inchoatio. Porro quam ignitus et venenatus sit amplexus, imo tactus mulieris, liquet ex eo quod scribit S. Gregorius, lib. IV *Dial.* cap. xi, de Ursino presbytero, qui animam agens, cum mulier, olim ejus uxor, naribus ejus aurem admovent, ut sentiret an adhuc ei vitale spiramen inesset, collecto spiritui et voce exclamavit: « Recede a me, mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle. » Et ex eo quod scribit

Jacobus de Vitrico Cardinalis in *Vita S. Marie de Oignies*, lib. II, cap. v, nimirum cum quidam amicus ejus, vir spiritualis, ex devotione manum ejus stringeret, indeque sentiret primos carnis motus insurgere, audivit vocem quasi a celo lapsam: « Noli me tangere. » Et ex eo quod scribit Chronicon Hirsurg. Joannes Trithemii ad annum Domini 1091, nimirum Jærahim Gebhardi Abbatis miraculose sanatum, cum is illud femine devote osculandum præbuisset, rursus obriguisset; atque Wilhelmu Abbate sanatum, quæ ita delicate vivebat, ut aquas communes dedignata, rore cæli a famulis undique collecto sase ablueret. Ejus porro cubiculum tot thymiamatum aromatumque generibus rodebat, ut pudor sit referre. Hæc enim, ulciscens hanc molliem animo, toto corpore computruit, adeo ut nemo famulorum ejus fetorem ferre posset. Sensim ergo computrescens, doloribus putiditia miserabiliter cruciata diem clausit extremum.

Denique quam potens sit hic amor, docet emblemata, in quo Cupido pingitur incidere leoni, eumque domare et regere, cum hoc lemmate:

Vidi ego qui domus possi frenare leonem:
Vidi ego qui solus corda domare amor.
Quonia vincit amor.

Hinc amoris hieroglyphicum est salamandra, quæ creditur igne vivere et ali, quo cætera consumuntur:

Te nutant, salamandra, ignis qui cætera perdunt:
Alterius nobis vivere morte datur est.

19 et 20. NON EST ENIM VIR IN DOMO SUA, ANTE VI LONGISSIMA. SACCELLUM PECUNIE SICUT TULLI, IN D PLENE LUNE REVERSUM EST IN DENERI SUAM. — Non est hæc mæcha illicebra, qua juveni omnium exitum metum. Dicit ergo impune eum secum posse comessari et luxuriari, eo quod maritus domo absit. Ne vero juvenis reditum ejus metuat, asserit eum abisse via longissima, ideoque saccellum pecunie pro viatico secum tulisse. Denique eum non reversurum ante plenilunium, puta ante medium mensis lunaris, quali utebantur Hebraei; quare usque ad illum diem impune esse posse agere quolibet. Poterat diem scire mæcha, tum ex mariti diebus, tum ex ejus negotiis. Unde Paganus vertit, *in die statuti temporis*; Cajetanus, *supplato tempore*; Tigurina, *certo die*.

Pro in die plena luna, Hebraice *יום הכסא* *leiom hachesse*, id est, ad diem obtectivis, scilicet lune, puta ad plenilunium, cum luna plane lumine solari tegitur et obducitur. Septuaginta vero accipiunt neomeniam sive novilunium, quia tunc luna lumine destituta obtegatur, agitur quasi in tenebris. Ita Aben-Ezra, R. Levi, Baynus et Vatablus.

Symbolice S. Ambrosius, lib. I *De Caino*, cap. iv: « Absentiam viri, ait, hoc est injuriam legis, obtexit; lex enim absens peccantibus est; nam si adesset, non delinqueretur. Et ideo ait: Non adest vir meus; habet autem viam longinquam in-

vulcro pecunie accepto in manu. Quid hoc esse dicam, nisi forte quia divites putant nihil esse quod non cedat suae pecunie, et in gratiam sui legem velint esse venalem?

Mystice, Hugo per virum sive maritum accipit Christum. « Non, ut vir, » id est Christus, inquit, « in domo sua, » id est, in mundo visibili specie; « alibi via longinqua, » puta ascendit in caelum; « sacculum pecunie secum tulit, » id est, corpus ex quo sanguis divinus redemptionis nostrae pretium fluxit; « in die plena lune reversurus est in domum suam, » hoc est, in die iudicii, cum plena erit Ecclesia sanctis virtutibus et meritis, redibit in mundum, ut bonos praemiet et beos, malos puniat et damnet. Hinc peccatores sibi hunc putant impune peccare usque ad diem mortis et iudicii, quasi tunc penitentiam acturi, sanctique victuri. Atque interim repentina vel inopinata morte obruti, sceleribus pleni trahuntur ad igneam Christi tribunal. Quocirca promouit omnes Christus dicens: « Vigilate, sita nescitis qua hora Dominus vester venturus sit, » *Math. xxiv, 42.*

21. IRETRIVIT BUM MULTIS SERMONIBUS, ET BLANDI-
TIS LABIORUM PROTRAXIT ILLUM. — Pro *irreviviv* Hebraice est *יריבתי הילתי*, id est, *declinare fecit illum*; Septuaginta, *seduxit*; Tigurina, *sevit*. Pro *multis sermonibus*, Hebraice est *רבים דברים* *berob Hebrae*, quod Theodotion vertit, in *multitudine doctorum*; *לוק* *loach* enim et sermonem, qui accipitur a loquente, et donum, quod accipitur a donante, significat. Radix enim *לוק* *loach* significat accipere in genere. Unde illud: « Accipisti, id est donavit, » *Psal. lxxvii, 19. Accipisti*, id est dedisti, ut explicat Apostolus *Ephes. iv, 8*. Vide ibi dicta. Meretrices enim dona exigua solent dare vel promittere, ut majora impetrent.

Pro *protraxit illum*, Hebraice est *דדיחיניו* *taddi-chenu*, quod Aquila, Symmachus et Theodotion vertunt, *perpulit illum*; Daynus, *impulit*; Tigurina, *perpulit*; Pagninus, *expulit*; Syrus, *abripuit eum*; Septuaginta, *laqueis laborum tuorum alligans domum adusque atraxit*. Graeca est *ἑλκεύει*, quod Complutenses vertunt, *impulit illum*; Romani et S. Ambrosius, *attractit illum*. Significat blanda et captiosa meretricis verba illa inescare, ligare et dementare animum et concupiscentiam juvenis, ut eum quasi funibus atrahant, et violententer propellant ad ejus cupidines explendas. « Athesuros, inquit S. Ambrosius lib. 1 *De Caino*, cap. iv, demonstrat, regna promittit, amores spondet continuos, inexploratos concubitus pollicetur, sine pedagogo disciplinas, sine monitor sermones, vitam sine sollicitudine, mollem somnum, inexplibilem cupiditatem. Seducens eum, inquit, multo blandimento sermonum, et laqueis laborum suorum alligans, domum adusque atraxit. » Formulam verborum, schemata meretricis (mystice voluptatis) subjicit S. Ambrosius: « Ipsa, ait, in medio stans; Bibile, ait, et inebriamini, ut

cadat unusquisque, et non resurgat. Illo apud me primus, qui omnium perditissimus. Ille meus est, qui suus non est; Ille mihi gratior, qui sila nequior. Calix aureus Babylonis in manu mea inebrians omnes terram, a vino meo biberaunt omnes gentes. Qui est ergo insipientior, diverfat ad me; et indigentibus sapientia praecipio dicens: Panibus absconditis suaverit utinam, et aquam furti dulciorem bibite. Ma autem sumus et bibamus; cras enim morietur, » etc.

Quare juvenes a meretricibus sollicitati illorum animos colligant, eosque in castitate obfirmant, ac imitentur S. Wolstanum Episcopum Wigorniensem in Anglia, qui a nobili pulchraque femina ad turpitudinem provocatus, facto signo crucis dixit: « Fuge, fomes lascivie, mortis filia, vas Satanae; » et simul alapam mulierculae tantum insi impexit, ut crepitus illius palme tota domo audiretur; ita eam procul a se abegit. Ita habet ejus Vita apud Surium, die 29 Januarii. Simile fecisse legimus S. Edmundum Cantuariensis Episcopum, qui illectus a femina, illam ad facinus invitata ita virginitatem, ut omnem ab ea tentationem dispulerit, utique per opem B. Virginis, cui ipse virginitatem venerat, ideoque in annulo insculptam gestabat Salutationem angelicam. Nulum enim remedium contra carnis tentationes presentis cultu et invocatione Deiparae. Illa enim est virgo virginum, castitatis asyllum, puritatis antistes, aeterna virginitatis custos et vindex, ut ex omnium saeculorum historia notum est.

Apposite Plutarchus, tract. *Quod amor non sit iudicium*, docet amoris enigma et symbolum esse sphingem. Sicut enim sphinx erat Thebanum monstrum ex variis animalibus commixtum, imbecillum, sic et amor ex variis tum amati iudiciis, tum amantis imaginationibus conficitur et confingitur. Sphinx enim vultu et manibus similis erat puellae speciosa, corpore canis, alis avi, unguibus leoni, cauda draconi, voce homini; quae homines pretereuntes difficilibus et inextricabilibus questionibus remorari ferebatur. Ita Pierius, *Hierogl. 4 et 7*. Unde Ausonius in *Grypho tertio*:

Ille etiam thalamos, ait, per trina aenigmata quaerens,
Qui hipes, et quadrupes foret, et tripes, omnia solas,
Terram Aoniac volucris, leo, virgo, infans;
Sphinx volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Sic mulier haec illecebrosa, habet vultum speciosum puellae, sed corpore procaex est, impudens et luxuriosa ut canis; alas habet avis, quia per fora et compita ad caelum juvenum non tam currit, quam volat; unguis leonis, quia amasios suos laeracry cardam draconis, quia eosdem in fuis implectit, praedit, occidit, devorat ut draeo. Unde implexum enigma huius sphingis, cito enigma, proponit Plutarchus loco citato. « Sed quoniam, ait, amoris unguis ad dentes sunt? suspicio, zelotypia. At habet quidpiam illex ac floridum? Sphinx etiam varietatem alarum illecebrosam ha-

buit, et ad solis radios conversa aureus erat bestiae color, adversus nubes autem caeruleus, quale jubat iris relict. Sic etiam amor habet quiddam gratiosum, nec inelegans, sed blandum et jucundum. Rapti autem hominum vitas familiaris, et nuptias, et imperatores, non aenigmata proponens, seae ipsemet enigma inventa soluta, quae difficile existens. Ut si quis huiusmodi enigma componat. Quid sit quod oderit simul et amet, fugiat et persequatur, minetur et supplicet, trascatur et miscratur, desinere velit ac nolit, eadem re maxime tum gaudeat, tum tristetur. » Ac deinde illud sic exponit: « Amantium autem affectus veri sunt: amant, oderunt; eundem absentem desiderant, presentem metunt; adulantur, convicia dicunt; pro amato moriuntur, occidunt; optant non amare, abstinere amore nolunt; emendant, et obsecant; docent, ac perdunt; imperare volunt, et servitutem tolerant. Haec est

causa cur hic affectus maxime pro insaniam reputetur. Hinc amatorius vir Euripides inquit: Amabam; amor autem hominibus furor est. » Hinc sphinx dicta ab effectu, quod homines suis verbis et questionibus ita stringat, ut se expedire non possint. Nam *σφίγγω* est constringere, vel vincire. Unde Statius in *lib. 1 Thebaidos* scribit, sphinga monstrum fuisse alas et angues habens in similitudinem Harpyiarum, quod insidens scopulo via imminenti insolubilia aenigmata transentibus proponebat; quae cum solvere non possent, ex improviso veniens alis et unguibus ad se in rupem trahabat. Ita amasios implicat meretrix, atque ad se rapit, perdit et necat. Quid ergo implicatus sphinge? meretrix. Quid rapacibus Harpyia? meretrix. Sphinx filia erat Chimerae et Orei canis. Quae major Chimera quam meretrix? quis canis tam impudens quam meretrix?

SECUNDA PARS CAPITIS,

QUA OSTENDIT JUVENIS AMORE CECI INSIPIENTIAM, QUOD A MERETRICE SIAT EX DUCI
AD LAQUEUM ET EXITIUM, QUASI BOS AD VICINIAM.

22. STATIM EAM SEQUITUR QUASI BOS DUCTUS AD
VICINIAM, ET QUASI AGNUS LASCIVENS, ET IGNORANS
QUOD AD VINCULA STULTUS TRAHATUR. — Describitur hic juvenis illecebri meretricis capiti vesania, primo, cum ait: « Statim eam sequitur, » quia foris illecebra meretricis, intus concupiscentia ejusdem stimulat. Externa ergo cupiditas interna occurrentem illum excensulatur, sibi que illigat, ducitque quo vult. Quia ratione enim juvenis amore aestuans amores meretricis oblatos, imo stimulantem et pene cogentes respuit? Septuaginta vertunt, *ipse autem secutus est eam* *καταβόη*, quod Complutenses vertunt, *elatus*; Romana, *infatuatus*; S. Ambrosius, *circumventus*; alii, *deceptus*. Respondet enim haec vox Hebraeo *צמד* *pitom*, quam noster vertit, *statim*; Septuaginta vero ex sua radice *κνθ* *palla*, id est seductus est (unde *peti* vocatur parvulus, insipiens, qui facile credit et decipitur), vertunt, *καταβόη*, quod est participium a *καταβόη*; *καταβόη* autem est species avis marinis levisissima, quae facile a quovis vento circummagitur, quaeque facile decipitur et capitur, inquit Hesychius, ideoque insipiens et stolidus. Unde *καταβόη* proverbialiter sumitur pro decepto et stolido. Hinc *καταβόη* *κατὰ τὸν κατὰβόη*, id est a levitate ducitur, inquit Oppianus; inde *καταβόη* idem est quod effert, et leviter circummagi in modum *καταβόη*. Unde *καταβόη*; a Suida interpretatur elatus, irritatus, ceteriter actus, inescatus, deceptus, in fraudem impulsus. Addit Suidas: « Cephus genus est avis, quae larus vocatur. Est autem levis et innatus undis. O cephe, id est, o vilissime et uax. Cephus enim talem esse dicunt. Dicitur hoc proverbium de viris inconsidera-

tis. Cephus enim spumam marinam comedit. Piscatorum vero filii primum eminus spumam projiciunt, deinde proxime, denique manu tenent, itaque cephus spuma inhiantem decipiunt et capiunt. » Haec Suidas. Idem docet Aristoteles. Gaza cephus putat esse fulicam, alii larum; Aldrovandus censet esse avem laro congenerem, cujus formam ipse depictam exhibet *Ornithol.* tom. III, pag. 89. Cephus ergo vocatur homo inconstans, levis, fatuus. Unde Pierius, *Hierogl. 23*, cephus asserit esse hieroglyphicum fatuitatis et stuporis, quo avis haec egregie laborat.

Adagiographus vero: *Cephus larus*, inquit, est proverbium dici solitum in garrulum ac vecondem, praecipue qui cujusvis rei cupiditate deceptus capitur: ab avis ingenio sumptum, quam spuma marina gaudere et capi tradit. Apposite ergo noster hic juvenis inescatus a meretrice, stolidusque sequens spumam Veneris, a Septuaginta vocatur *καταβόη*, id est recors instar cephi. Audi Polychronium et Didymum in *Catena Graec.*: « *καταβόη*, inquit Polychronius, larus vel fulica, avis est stolidia et clamosa, spuma vitians, et ad libidinem admodum propensa. Ab hoc autem nomine deductum est verbum *καταβόη*, quo hoc loco usi sunt Septuaginta interpretes. Cum huius autem avis natura et qualitate nomulum affinitatem habet haereticorum sermo: videtur is enim propter apparentem compositionis splendorem et venustatem, utcumque candidus et virilis; verum reipsa est stolidus, viribusque destitutus, atque ideo captu perquam facilis. » Et Didymus: « Assignantur, ait, tres erodiorum seu fulicarum

species, nimirum cephalus, leucus et asterias, hoc est, fulva seu larus, ardea vel ardeola, et stellaria. Pro coloris autem ad colitum propensa est fulva vel larus; interim congressus sortitur admodum difficile. Vociferatur namque, et usque dum sanguinem per oculos mittit, conatur; jactetque nonnuncquam quasi sensu destituta, ita ut laqueo, vel dano quoque facillime capiatur, et pari laqueo magna cum difficultate. Tali itaque avi propter libidinis ardorem Sapiens hoc loco comparat illum qui, meretricis sectatus, is denique obsequitur.

Primo ergo juvenis hic vecors comparatur cephalo; secundo, bovi. Unde ait: « Sequitur (meretricem et moecham) quasi bos ductus ad victimam; » Hebr. ad lantemam; Septuaginta, ad mactationem; Chaldaeus, sicut bos ad mactellum; Tertullianus, sicut taurus ad victimam. Cum enim lamiones tauros feroces ducere volunt ad mactellum, praemittunt vaccae, quarum libidinis actus taurus stolidè sequitur, itaque decipitur, ligatur et mactatur. Simili prorsus modo juvenis hic meretricem sequens ab ea decipitur, verbisque ejus illecebrosis quasi funibus ligatur, et in exitum corporis simul et animae ducitur. Notum est boves esse stolidos, adeoque symbolum stoliditatis. Ex stat emblema bovis arantis, qui fatigatus et senescens frustra detrahet jugum, quod ipse juvenis subit. Ergo

Ne juvenile actum doles aetate senecta;
Quid facias juvenis, tu prior ipse vide.
Sero detrahet onus qui subit.

Tertio, comparat juvenem luxuriosum agno. « Et quasi agnus, inquit, lascivius. » Primo, quia agni simplices sunt et stolidi; talis enim est hic juvenis. Sane Columella, lib. VII De Re rustica cap. III, ait agnos tam esse stolidos, ut recens editi matrem propriam non agnoscant, sed oves primo obvias, quin et subinde vulpes luposque, quasi matres, sequantur: ita juvenis hic lupas, id est meretricis, quasi matres, imo sponsas sequitur, ut ab eis devoretur; secundo, agni cum lascivire et in agnas insilire incipiunt, ducuntur ad mactellum et jugulantur: tunc enim habentur agni perfecti, ac caro eorum solida est aptaque ad esum, imo multis in locis ad delicias expelita: sic et juvenis hic, lascivire incipiens cum meretricis, aptus est mactello Satanae et gehennae. Porro Aristoteles, lib. V De Histor. anim. cap. XI: « Oves et caprae, inquit, annuente coeunt, » puta cum sunt agni unius anni. Tertio, agni grandiores, puta arietes, valde in venem propensi sunt ac lascivios, imo farunt. Addit Aristoteles, lib. VI De Histor. anim. cap. XIX: « Coeunt, inquit, tam oves quam caprae, quando vivunt. » Ita et juvenis hic ad insaniam usque lascivit, ruens ad necem animae et corporis; lascivit, inquam, per omnem vitam, quae proinde et brevis est, eoque ac oculus. Nam, ut ibidem ait Aristoteles: « Vita capris ad octo-

nos cum plurimum annos, ovibus ad denos, sed magna ex parte ad pauciores. »

Hae comparatio agni lascivientis non est in Hebraeo, sed hoc loco apposita. Forte nostrae Interpres pro *agrus*, sicut Septuaginta pro eo videtur legisse *כלב* *keleb*, id est canis. Unde vertunt, et sicut canis, inquit, ad victimam; sic et Syrus ac Chaldaeus. Canis enim valde luxuriosus est et impudens. Unde Diogenes cognominatus est Cynicus, quod publice instar canum venem exerceret. Unde et discipuli ejus dicti sunt Cynici, quasi canini, ob impudentem mordacitatem et libidinem. Ita Lactius in Vita Diogenis, Lactantius, lib. III, cap. XXV, S. Chrysostomus, hom. 34 in Matth., et S. Augustinus, lib. XV Civit. xx. Sicut ergo canis mas petulans lascivit, omniaque miscet et turbat, praesertim dum oestro libidinis agitur, caesque feminas insequitur; raro necesse est eum vinculis alligare, ac subinde suffocare, suspendere, vel in flumen demergere: sic prorsus lascivit hic juvenis, ideoque a deo vinculis malorum illigatur et astringitur. Hinc canis in proverbium abiit, notaque impudentem et luxuriosum; pluraque a cane sunt proverbia, ut illud Theophrasti: « Periculosum est canem intestina gustasse, » q. d. Qui semel cum scorto peccavit, difficulter ab eo abstinet: illecebram ejus vel antoramentum libidinis degustavit. « Canis masculi infinita cubilia, » q. d. Luxuriosus una non contentus, passim per aliena cubilia volutat. « Canem vincula, » q. d. Luxuriosus seipsum dat in servitutum meretricis, sicut canes ultra seipsos hauris praebent vinciendo cibi lenocinio.

Quarto, juvenis hic « ignorans est, quod ad vincula stultus trahatur; » Symmachus, exultans super vinculis stultus; Pagninus, exultans super castigationem stulti (1); Valabius, seu dum compes stulto ad castigationem adhibetur, q. d. Juvenis sequitur meretricem, ut eum ea libere lasciviat; at nescit quod ab ea ad vincula trahatur: meretrix enim ei erit compes; suis enim lenociniis, dolis et fraudibus ita eum sibi illigabit, ut se ab ea avellere, expedire et extricare nequeat. Erat ergo semper ejus quasi servus et mancipium, vinculis meretricis adstrictus et compeditus. Pro compes hebraice est *כַּי* *ches* Agnod R. Salomon verit, venenum. Et sicut venenum, ait, ad castigationem stulti. Melius alii vertunt, tintinnabulum, vel crepitaculum, quod olim puellae levissae, praesertim meretrices, calcis applicabant, ut ejus sono juvenes ad se intuendum excitarent, et in sui amo-

(1) Ita et Maurer. Gesenius, et sicut in compeditus ad supplicium ita se trahitur improbus: minus recte. Alii alter. Ceterum haud improbabili conjectura Rosenmulleri verba corrupta esse significat, quum quae proxime sequuntur vers. 23, et quae statim subjungitur comparatio cum ave laqueo capta, fere flagitant, ut bovem inter et avem secundo loco fere aliqua alia commemoretur, quae pedice iretilla a venatore occidatur.

rem provocarent, ut patet Isaie III, 16 et 19. Dicit ergo: Juvenis hic videt auditque hoc crepitaculum, capitur inaccessu et forma meretricis: unde eam sequitur; sed ignorat quod hoc crepitaculum erit ei compes, quo pedes ejus astringuntur, ut quasi vincens et captivus a meretricis teneatur, ac quidquid ei liberit, agere et exequi debeat. Igitur sicut stulti et insani vincuntur compeditibus, ne sibi alisque noceant: sic et ipse similes sponte sibi compedes induit. Rursum tintinnabula solent gestare stulti, indeque stulti dignoscuntur, q. d. Juvenis hic captus tintinnabule calciorum meretricis stultescit: unde dignus est ut quasi stultus tintinnabula gestet, iisque castigetur et notetur infamia, q. d. Juvenis hic infamis est, omniumque risibus et sibilis exponitur, quasi stultus, qui in signum stultitiae gestat tintinnabula. Sic videmus vere stultos subinde cum feminis stullis et amentibus tintinnabulatos incedere.

Alter alii: censent enim hic alludi ad tintinnabulum, quod olim gestabant rei capite multandi, ut ejus sonitu populus ad supplicium concurreret, sive ne quis ad eos approximans contaminaretur: uti ex Zozara et aliis docet Turnebus, lib. XI Adversar. cap. XXI, et lib. XXIII, cap. XI. Sic sensus foret, q. d. Juvenis ille moecham sequens similis est reo, qui ad necem ducitur, ideoque tintinnabulum gestat. Simili enim modo ipse quasi ad necem damnatus, ultro ad eam pergit et properat.

Verum prior explicatio videtur simplicior et planior, ideoque germanior, praesertim quia illa compedum similitudo priscae fuit usitata. Simili enim modo aureas compedes per proverbium vocantur servitutum splendidam et amabilem, qualis est amentium et alicorum vita. Unde Diogenes scripsit Aristippum in aula regia aureis teneri compeditibus, ne posset volare. Seneca in dialogo quodam affectus et rationis: « Stulti est, ait, compedes suas quamvis aureas amare. » Loquitur de uxore formosa. Sic et Horatius de amica speciosa: « Tenetque grata compede victum. » Igitur Salomon, ut juvenis luxuriosi vecordiam et amentiam representet, comparat eum primo, cephalo sive laro; secundo, bovi ducto ad victimam; tertio, agno lascivienti; quarto, compeditibus insani; quinto, cervo sagitta confixio jecur; sexto, avi laqueo capto, uti ex Septuaginta audiemus vers. seq.

23. DONC TRANSGRAT SAGITTA JECUR EJUS; VELUT SI AVIS FESTINAT AD LAQUEUM, ET NESCIT QUOD DE ZENICULO ANIMAE ILLIUS AGITUR. — Syrus, et nescit se ad mortem suam pergere; Septuaginta addunt, hominem cervus: Et tanquam cervus, inquit, sagitta vulneratus in jecore (Syrus, sicut cervus, cuius hepar sagitta transfoderit); festinat autem tanquam avis in laqueum, nesciens quia pro anima currit.

Duplici sagitta juvenis hic transigitur: prima amoris meretricis, quae jecur ejus sauciat. Jecur

enim sedes est amoris et concupiscentiae, juxta illud celebre:

Cor sapit, et pulmo loquitur, fel commovet iram,
Splen ridere facit, cogit amare jecur.

Secunda, doloris quem parit amor, q. d. Juvenis hic sauciat sagitta amoris, ideoque sauciatibus mox sagitta doloris. Alludit ad cervos, qui ardent amore cervarum, eoque rariantur et sagittis transiguntur. Nam, ut tractat Aristoteles lib. IX Histor. animal. cap. V, venatores, ut cervos capiant, cervarum lascivientium vocem imitantur: ad illam illico accurrunt cervi: mox illos inter ardua latentes venatores sagittis configit, q. d. Simili modo juvenis moechae blanditibus illectus eam sequitur, et ecce a marito moechae, qui scelus odoratus in insidiis latet, confoditur, aut a iudice, vel certe a Deo punitur et plectitur. Unde Isidorus Clarius sic exponit: « Non quiescit miser, nec abstinet a scorto, donec maritus scorti spiculo configat jecur ejus. » Priorem sagittam amoris magis notasse videtur Septuaginta, dum vertunt, et tanquam cervus vulneratus in jecore, scilicet sagitta amoris sequitur meretricem. Posterioriorem sagittam doloris magis notat Noster, dum vertit, donec transgat sagitta jecur ejus; et Chaldaeus, sicut cervus in cuius hepar sagitta volat: quantum et prior sagitta amoris hisce verbis accipit quae, q. d. Juvenis voce ei specie meretricis illectus eam sequitur, donec sagitta amoris plane transgat jecur ejus, id est, donec meretrix irremediabiliter et irremediabiliter sauciet ejus appetitum (cujus symbolum est jecur) concupiscentia sui. Sicut ergo cervus sagitta letus fugit, sed mortem non effugit, quin potius currendo vulnus auget et aggravat, mortemque sibi accelerat: sic qui sagitta amoris in corde letus est, hinc illico discurrit, et vulnus amoris mortisque adauget. Nam ex vulnere amoris illico sequitur vulnus doloris; sine dolore enim non vivitur in amore. Doloris, inquam, tum remorsus et angoris conscientiae, ut intelligit Jansenius; tum morborum, litium, paupertatis, infamiae, periculorum milleque miseriarum, quae libidinis et adulterii sequi solent; tum mortis quae illi vel a marito ejusque cognatis, vel a iudice paratur; tum gehennae et damnationis aeternae, qua illum Deus conficit.

Denique de cervo ita scribit Plinius, lib. VIII, cap. XXXII: « Animal simplex est in tantum ut hominem juxta venantem non cernat; aut si cernat, arcum ipsum sagittasque miretur. » Quo quid opportunius ad exponendam hominis stoliditatem, femine speciem, id est arcum ipsum, et sagittas quibus transigitur, demirantis? Addit Plinius, « pastoralis fistula et calum mulocri. » Addit Aristoteles, lib. V De Histor. animal. cap. V, ita sibilu et cantu venantium allici, ut altero venantium cantante alteri liceat clam a tergo ferire. Quod ex Aristotele repetunt Xenophon, Varro, Elianus, et ex Aegyptiorum disciplina Horus, lib. II Hero-

glyph. cap. LXXXVII; illi enim hominem a Julatione deceptum significabant picto ceruo cum tubicine. Quo quod similis ad exponendam tum vim muliebris cantus, tum stoliditatem cervinam adolescentis, quem petulantia femina « proxitat, et irrevivit nullis sermionibus, donec transfigat sagitta cor ejus, » « pereat in efficacia vocis? »

Per *jecur* anonyimice intelligit vitallia, puta cor, hepar ceterasque partes hominis vitales: dicitur tamen transfigi *jecur* potius quam cor, pectus aut ventrem. *Primo*, quia, ut dixi, *jecur* sedes est amoris: ubi ergo juvenis peccavit amore, ibi transfigitur et dolore; *secundo*, quia *jecur* est fons sanguinis, et consequenter seminis; semen enim non est aliud quam sanguis purissimus: quia ergo *jecore* effudit semen, hinc eodem effundit sanguinem, et igitur plaga haec immedicabilis et lethifera, quia in sanguine consistit hominis vita; *tertio*, quia dum sagitta *jecur* transfigitur, subinde fit, ait Aristoteles, lib. III *De Part. animal.* cap. x, ut homo rideat, et ridendo moriatur: ita moechi et moechae saepe ridendo, dum scilicet amori indulgent, imo subinde in ipso flagranti adulterio occiduntur, vel a marito, vel a cognatis, vel a corruvilibus, vel ab ipso Deo; *quarto*, quia *jecur* symbolum est voluptatis, felicitatis et gloriae, juxta illud *Tiren.* n. 11: « Effusum est in terra *jecur* meum. » Vide ibi dicta. Dum ergo *jecur* transfigitur dicitur, haec omnia transfigi et periri significantur; *quinto*, quia transfixo *jecore* illic homo concidit et moritur: ita moechi et moechae saepe subita morte plectuntur. Unde S. Ambrosius mox citandus legit: « Et sicut cervus sagittatus in *jecore* haeret saucius. » Cervus enim in arno aut capite saucius currere non cessat; at saucius in *jecore* haeret, cadit et moritur; *sexto*, quia saepe mors moecho inferitur a moecha, et vice versa. Ita amor occidit amorem, amans amantem, ejus symbolum est *jecur*. Horribile exemplum recenset Naucerus col. n *Chronog.* gen. 20, anno 574, de Rosimunda uxore Alboini regis Longobardorum, quae Helmechildum adulterum adamavit, eumque ad necem mariti impulit: sed postea Longinum adamans, cum Helmechildo venenum propinasset, isque vim ejus pensitosciret, ab eo stricto gladio coacta reliquum veneni ebibere, tam seipsam quam adulterum veneno sustulit.

Denique ipse concubitus solaque venus multos occidit. Galenus, lib. I *De Spermate*, scribit animales partes non solum seminaria humiditate destitui ex superfluo coitu, sed etiam vitali spiritu, qui ex arteriis evacuat cum spermatica humiditate. Quocirca non mirandum, si imbecilliores efficiantur nullum utentes venere, utpote purissima ad universo corpore exeunte, et accedente insuper delectatione, quae per se potest vitale robur exsolvere. Ex quo factum est ut quidam immoderate delectati mortui sint: haec fere Galenus. Et profecto plerique, aut quia nimium

delectati sunt in opere venereo (ut ille dicit), sive etiam quia immoderate commixti sunt, in ipso concubitu occubuisse leguntur. Nam, ut refert Plinius, lib. VII, cap. III, Cornelius Balbus praetor et Q. Heterius eques Romanus in venere obiere. Quos etiam rei meminit Valerius, lib. IX, cap. XII. Tradit etiam Petrus Damianus quemdam principem Tarentinum, dum cum moeretrice congrederetur, animam emisisse. Jojanus quoque Pontanus, in libro *De Obesentia*, scribit se comperit habere Beltrandum quemdam, cognomen to Ferrerium, in venere exspirasse. Observatum quoque est in Graecorum monumentis: idem Pindaro illi novem Lyricorum (ut Fabio placuit) principi accidisse: licet aliter sentiat Valerius Maximus, lib. IX, cap. XII. Et id quoque contigit Spensippo Platonic prodit Tertullianus in *Apologetico*. Haec et plura Tiraqueillus in leg. 15 *Com. num.* 27. Hinc Venus Libitina, quasi mortis et sepulturae praeses, colebatur in aede Libitinae, teste Plutarcho in *Numa*. Eadem cognominata est *Adreptis*, id est homicida.

Mystice, cervus sagitta ictus, dictamum herbam comedens, sagittam exculit. Unde Plinius, lib. VIII, cap. XXVII: « Dictamum herbam, ait, extrahendis sagittis cervi monstraverit percussi eo telo, pastuque ejus herbe ejecto. Chelidonium visui labrem hirundinis monstraverit, vexatis pullorum oculis illa medentes. » Ita juvenis sagitta amoris ictus illam excutit per penitentiam et mortificationem; hujus enim symbolum est dictamum. Dictamum enim, ait Dioscorides, lib. III, cap. XXXI, est herba acris, mordax, pulegio similis, purgandi vim habens, serpentibus inimica, ac vulneribus corporum medetur. Talis prorsus animae et conscientiae est penitentia. Unde Tertullianus, lib. *De Penitentia*, sub finem: « Cervus, inquit, sagitta transfixus, ut ferrum et irrevocabiles mores ejus de vulnere expellat, scit sibi dictamum mendendum. Hirundo, si excaecaverit pullos, novit illos rursus oculare de sua chelidonia. Peccator, restituendo sibi institutam a Domino exomologesin sciens, praeterbit illam, quae Babylonium regem in regna restituit? »

Huc facit S. Ambrosius, lib. I *De Cain*, cap. V, qui per moecham mystice accipiens voluptatem, ejus remedium assignat virtutem. Inter virtutes enim sola penitentia et mortificatio proprie et ex diametro opponitur voluptati, eamque perimit. « Illis auditis, ait S. Ambrosius, velit cervus sagittatus in *jecore* haeret saucius: quem miserans virtus, et casurum cito videns, improvisa occurrat, verita ne inter moras illecebris demulcentibus, mens concidat humana. »

Noster Salazar per dictamum accipit virginitatem, ac amorem et invocationem B. Virginis, quae ut superius dixi, singulare est remedium adversus tentationes carnis. Affert rationem, quia dicitur, inquit, graece *παρθενω*, latine *virginalis*, dicitur, vel quia nullo semine satto adolescit, vel

quia comestum venerem enecat. Verum nihil tale habet Plinius, Theophrastus, Dioscorides, Ruellius ac similes, qui de plantis herbisque scripsere; quin potius Dioscorides, lib. III, cap. XXXI, aequae ac ceteri plantae dictamum a parthenio, quod et matricariam vocant, distinguunt.

Huc Salomonis gnoma antistropha est illa Syrorum: « Ne laudas fenestras, ut excipias sagittas, quibus feriatur cor tuum, » hoc est, ne aperias oculos et aures, ut excipias species et cantilenas feminarum, quibus saucietur cor tuum amore illecebrosos, indeque dolore salebrosos.

VELUT SI AVIS FESTINAT AD LAQUEUM. — Est haec sexta et ultima comparatio, g. d. Sicut avis adolat ad escam ibique capitur ab aucupe, sic juvenis hic incaute sectans illecebram meretricis et moechae, eadem capitur, illaqueatur et perimitur.

Rursus, sicut avis femina ligata ab aucupe juxta retia sua voce et cantu alias ad se advocat, praesertim mares sibi congeneres, quae ad eam advolantes reti implicantur et capiuntur: ita moecha haec, illiciens juvenem, ducit eum ad laqueum et necem. Vidi in Belgio anates paleutrias, sive illices et seductrices, ab aucupe ciecuratas, quae ad anates sylvestres advolantes, eas turmatim post se ad retia ducebant, magna spectantium voluptate et aucupum lucro. Chaldaeus vertit, et festinat sicut passeris ad laqueum. Passeres enim salaces sunt: unde mas feminae amore in retia et laqueum se dat.

ET NESCIIT QUOD DE PERICULO ANIMAE ILLIUS AGITUR. — *Et nescit* Iansenius refert ad avem, bovem, agnum, cervum, etc.; magis gentine ex Hebraeo refertur ad juvenem, cum allusione tamen ad avem, bovem, etc. ut sit epiphonema, g. d. O insignem juvenis stoliditatem, qui sequitur moecham, et nescit quod sequendo eam conjicit se in certum animum, id est vitae, tum praesentis, tum aeternae periculum, quae sane magna et miseranda est ejus veordia. Sicut enim bos sequitur vaccaem, et nescit se sequendo eam lanione duci ad macellum; et sicut canis inhiat escae, et nescit se accedere ad laqueum, etc.: sic prorsus juvenis hic stolidus sequitur moecham, et nescit, id est, non cogitat, non advertit quod sequendo eam incurrat praesens et aeternum vitae disorimen. Unde Chaldaeus vertit, et nescit quod tendat ad mortem animae suae.

24 et 25 (1). NUNC ERGO, FILII MI, AUDI ME, ET ATTENDE VERBIS ORIS MEI (Hebraea habent in plurali, nunc ergo, filii, obaudite mihi, et animam advertite verbis oris mei. Ita Vatablus): NE ABSTRAHATUR IN VIS ILLIUS MENS TUA, NEQUE DECIPIARIS SEMITIS EJUS. — Hebraice, ne declines ad vias ejus cor tuum, neque erres in semitis ejus, ut scilicet a vera virtutis et castitatis via abertes, easque in devios vitii et libidinis labyrinthos, ac praesertim ne deserta castrorum societate et contubernio deflectas et de-

vies, ad aberrandum per vias quae ducunt ad domum meretricis, a qua juveni omni nisi originem fontemque existitisse audivimus.

Nominat *semitas*, quia meretrices, praesertim secretae, quae publice honeste haberi volent, solent in recessibus, antris et lustris habitare. Unde a via regia turpitudinis pudore sese elongant, idoque per *semitas* secretas ad eas tenditur; quin et quae publice pudorem suum prosunt, in *semitis* consistunt, ut transeuntis aueupentur, indeque *semitaria* sunt dicta.

26. MULTOS ENIM VULNERATOS DEJECEIT, ET FORTIS SIMI QUIQUE INTERPECTI SUNT AB EA. — Septuaginta, multos enim vulneratos deiecit, et innumerabiles sunt quos trucidavit (ita legit S. Ambrosius); Hebraeus, et fortes (2) omnes (qui scilicet eam secuti sunt) interfecit ejus, id est, ab ea. Hoc dicit, ut nemo suis viribus, suae praeterita castitati praefidat: quia mulier fortes, amosos, castos per omnem vitam in senecta deiecit, corrupti, perdidit. Ita « filiae hominum, » id est, filiae Caini, sua specie illexerunt et corruperunt « filios Dei, » puta filios Seth, indeque orti sunt impii gigantes, ob quos Deus totum orbem perdidit diluvio, *Genes. VI*. Quis Hectorem, Trojam totumque Asiae regnum perdidit? una Helena. Quis fortissimum Samsoneum Philistaeis tradidit? Dalila. Quis sanctissimum Davidem ad adulterium et homicidium impulit? species Bethsabee. Quis sapientissimum Salomonem demementavit? concubinae.

« Quanti et quales Episcopi, ait S. Cyprianus tract. *De Singul. clericis*, clerici simul et laici, post confessionem viciorumque calcata certamina, post magna et mirabilia et signa usquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse! Quantos leones domuit iusta mulieris infirmitas delicata, quae, cum sit vilis et misera de magnis efficit praedam! » Igitur Martyres qui tormenta vicerant, a femulis delinde victi sunt. Confessores qui tentamenta qualibet superarunt, a muliere superati sunt. Quis ergo tam demens a muliere superatus non sapit? ut se unicam caeteris omnibus fortiorum aemulet? ut in igne illecebram se fore confidat? « Ignis, mare, mulier, mala tria, » ait Menander, imo malum unicum. Mulier enim est ignis et mare, quod plurimos et validissimos haurit sorbetque.

27. VIE INFERI DOMUS EJUS, PENETRANTES IN INTERIORA (manuscripti legunt, inferiora) MORTIS. — Syrus et Pagninus, ad cubilia mortis; alii, ad penetralia mortis; Septuaginta, deducentes in promptuarium mortis. More rhythmici Hebraei idem dicit posteriori hemistichio, quod dixit priori. Igitur idem est: « Vie inferi domus ejus, » quod « penetrantes in interiora mortis. » In inferno enim mors suum intimum habet cubile, suum penetrale.

(2) Fortes, id est, numero validos, copiosos, ac parvales docet: ita multo.

sum thronum et regiam. Si ergo quæras: « Quid est infernus? » apte respondebo: « Infernus est penetrale et regia mortis, » quia in eo mors æterna pleno jure in omnes damnatos, tam dæmones quam homines dominatur, et in perpetuum dominabitur. Reprobi ergo in hac vita sunt quasi in atrio mortis; in inferno vero erunt in ipsis penetralibus et visceribus mortis. Sicut vice versa electi in hoc mundo sunt quasi in atrio vite, in celo vero erunt in ipsis penetralibus vite, ubi vita dominatur et regnat perpetim. Sensus ergo est, *g. d.* Meretrix oravit cubile suum, aspersitque aloë et myrrha: sed hæc non tam convivii et voluptatis, quam mortis et sepulture sunt indicata et prænantia: iis enim inungi solent corpora defunctorum. Scias itaque certo, o juvenis, cum adis domum meretricis, te ire ad domum caliginem. Metuo profundas tenebras. Metuo infracta vincula, stridorem dentium, fletum inconsolabilem. » Et S. Ephrem tract. *De Variis inferni tormentis*: « Hanc diem, ait, mente volentes sancti Dei martyres, non sunt miserati sua corpora, sed omne tormenti genus subierunt, spe coronarum gaudentes. Alii, in solitudinibus et montibus atque speluncis, in jejuniis et virginitate decurrunt; ac jam quidem contendunt non tantum viri, sed et mulieres, pars debilior, ac per angustam portam arctamque viam incedentes, regnum cælestis rapiunt. Quis ergo patitur se illo rubore suffundit, ut, cum mulieres illa hora coronentur, multi autem viri condemnentur? non enim est ibi masculus et femina; sed unusquisque propriam mercedem recipiet secundum proprium laborem. »

Tropologie meretrix et mœcha est concupiscentia ac hæresis: hæc omnibus insidiatur, et omnes, qui illam sequuntur, occidit: hæc quoque recta ducit ad inferos. Ita Polychronius in *Cætana Græcor.*: « Iamnumeri, ait, hoc loco dicuntur, qui per latam viam incedunt, siquidem tales non sunt digni, qui aliquo numero aut loco habeantur; sunt itidem permulæ vitiorum et flagitio-

rum species, quæ flagitiosos ad inferos præcipites trahunt.

Porro quam formidabilis sit infernus, et judicium, graphice depingit S. Cyrillus Alexandrinus orat. *De exitu animæ et de secundo adventu*: « Metuo mortem, ait, quoniam acerba mihi est. Metuo gehennam, quia æterna est. Metuo tartarum, quia nihil habet coloris. Metuo tenebras, quia nihil habent lucis. Metuo vermem veneniferum, quoniam æternus est. Metuo genios iudicio præficiendos, quoniam sunt immisericordes. Metuo, cum cogito illius diei terribile et muneribus inexiguabile concilium, tribunal horribile et iudicium incorruptum. Metuo flumen ignis ante tribunal illud fluens, vehementissimamque flammam, torrentem et acutos enses. Metuo severissimas penas. Metuo supplicium finem non habens. Metuo tetram illam caliginem. Metuo profundas tenebras. Metuo infracta vincula, stridorem dentium, fletum inconsolabilem. » Et S. Ephrem tract. *De Variis inferni tormentis*: « Hanc diem, ait, mente volentes sancti Dei martyres, non sunt miserati sua corpora, sed omne tormenti genus subierunt, spe coronarum gaudentes. Alii, in solitudinibus et montibus atque speluncis, in jejuniis et virginitate decurrunt; ac jam quidem contendunt non tantum viri, sed et mulieres, pars debilior, ac per angustam portam arctamque viam incedentes, regnum cælestis rapiunt. Quis ergo patitur se illo rubore suffundit, ut, cum mulieres illa hora coronentur, multi autem viri condemnentur? non enim est ibi masculus et femina; sed unusquisque propriam mercedem recipiet secundum proprium laborem. »

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Capite præcedenti in scenam produxit mulierem meretricem suis lenociniis, fucis et fraudibus omnes esse allicientem et perdentem. Jam ut ab ea omnes avocet, hoc capite in scenam producit feminam, imo reginam, et quasi deam castissimam et sapientissimam, puta ipsam Sapientiam, quæ meretricis æmula et antagonista ab ea omnes ad se advocat, promittendo eis primo, se docturam veritatem, justitiam, scientiam, timorem Dei, prudentiam et fortitudinem. Secundo, vers. 15, promittendo regnum, opes et gloriam: quæ omnia assertit esse sua, et a se suis discipulis donari. Tertio, vers. 22, altius assurgens assertit se esse Deo conternam, Deumque per se creasse et composuisse cælum et terram, omnique quæ in eis sunt. Quarto, vers. 32, concludendo hortatur omnes, ut sese audiant, itaque hauriant a Domino vitam et salutem; si enim se spernant, minatur æternam mortem et miseriam.

1. Nunquid non sapientia clamitat, et prudentia dat vocem suam? 2. In summis excelsumque verticibus supra viam, in mediis semitis stans, 3. juxta portas civitatis in ipsis foribus loquitur, dicens: 4. O viri, ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum. 5. Intelligite, parvuli, astutiam, et insipientes animadvertite. 6. Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum: et aperientur labia mea, ut recta prædicent. 7. Veritatem meditabuntur

guttur meum; et labia mea detestabuntur impium. 8. Justi suntu omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum; 9. recti sunt intelligentibus, et æqui inventientibus scientiam. 10. Accipite disciplinam meam, et non pecuniam; doctrinam magis, quam aurum eligit. 11. Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis: et omne desiderabile ei non potest comparari. 12. Ego sapientia habito in consilio, et eruditus intersum cogitationibus. 13. Timor Domini odit malum: arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. 14. Meum est consilium, et æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. 15. Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt: 16. per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam. 17. Ego diligentes me diligo: et qui mane vigiliant ad me, invenient me. 18. Mecum sunt divitiæ, et gloria, opes superba, et justitia. 19. Melior est enim fructus meus auro, et lapide pretioso, et gemina mea argento electo. 20. In viis justitiæ ambulo, in medio semitarum iudicii, 21. ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam. 22. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. 23. Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret. 24. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant: 25. necdum montes gravi mole consistierant: ante colles ego parturiebar: 26. adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terræ. 27. Quando præparabat cælos, aderam: quando certa lege, et gyro vallabat abyssos: 28. quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum: 29. quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quando appendebat fundamenta terræ. 30. Cum eo eram cuncta componens: et delectabar per singulos dies, ludens eorum eo omni tempore, 31. ludens in orbe terrarum: et deliciæ meæ, esse cum filiis hominum. 32. Nunc ergo, filii, audite me: Beati qui custodiunt vias meas. 33. Audite disciplinam, et estote sapientes, et nolite abijcere eam. 34. Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad posteros? non enim est ibi inveniet, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino: 36. qui autem in me peccaverit, lædet animam suam. Omnes, qui me oderunt, diligunt mortem.

PRIMA PARS CAPITIS.

Nota primo, sapientiam hic per prosopopeiam poeticam et comicam induci ut personam, quæ humani corporis organa, gestus, vocem, concionem usurpat. Idem factum est cap. 1, et *Eccli.* cap. xxiv, et *Sapient.* cap. vii. Sic enim elegantior æque ac efficacior est concio, cum ipsa sapientia, id est ipsa honestas et virtus, suam pulchritudinem, fructus et dona ostentans, omnesque ad se invitas, in scenam inducit, ut singuli eam videntes, et loquentem audientes, divina ejus specie et oratione illecti, proliquis eam sequantur. Ita Nazianzenus, orat. 39.

Nota secundo, sapientiam, sive prudentiam et virtutem, hoc loco, uti et passim in libris sapientialibus, sumi in genere, prout abstrahit, aut prout communis est increata et creata; sive sapientiam hic significare tam creatam, quam increatam, quæ reipsa idem est cum deitate et Deo, quatenus ipsa communicat se sapientiæ create et creaturis. Unde quedam hic dicuntur quæ magis conveniunt create, ut quod, vers. 22, dicitur juxta Septuaginta, *Dominus creavit me in initio viarum suarum*; quæ-

dam magis competunt sapientiæ increate, ut quod ibidem dicitur: « Ab æterno ordinata sum ante omnem creaturam. » Ita Nazianzenus, orat. 39, Tertullianus, *Scorpiæ* cap. vii, Cajetanus, Jansenus et alii. Hinc rursum S. Athanasius, Cyrillus, Hilarius et alii passim disputantes contra Arianos, hæc literaliter sensu accipiunt de sapientia incarnata, puta de Christo, indeque probant Christum esse Deum, de quo plura vers. 22. Sapientia enim incarnata partim creata est, partim increata: Christus enim ut homo creatus est, ut Deus vero increatus.

Salomonem secutus Siracides, *Eccli.* toto cap. xxiv, sapientiam similia, imo eadem de se prædicantem induci: quare ibi pleraque quæ hoc cap. dicuntur, explentur.

1. NUMQUID NON SAPIENTIA CLAMITAT, ET PRUDENTIA (Theodotion, *intelligentia*) DAT (Chaldaeus, *elevat*) VOCEM SUAM. — Simile dividimus cap. 1, vers. 20: « Sapientia, ait, foris prædicat, in plateis dat vocem suam. » Vide ibi dicta. Syrus, *ideo* (ut scilicet avocet te a meretrice, cuius æmula est)